



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

ges

2

<36632837320010



<36632837320010

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Af. Ge.

Hist. Asiae.

Novissima.



CAM-HY

Empereur de la Chine
et de la Tartarie Orientale,
âgé de 71 an et peint à l'âge
de 32.

Pro loco levata Monacense est. En. 2.
J. P. NOVISSIMA Augri
SINICA

HISTORIAM NOSTRI TEM-
PORIS ILLUSTRATURA

In quibus.

DE CHRISTIANISMO

Publica nunc primum autorita-
te propagato misa in Europam rela-
tio exhibetur, de q̄e favore scientiarum Europæarum ac
moribus gentis & ipsius præsertim Monarchæ, tum & de
bello Sinensium cum Moscis ac pace constituta,
multa hactenus ignota explicantur.



Edente G. G. L.

Indicem dabit pagina versa.

Secunda Editio.

Accessione partis posterioris aucta,



ANNO M DC XCIX.

Index eorum quæ hoc libello continentur.

IN PARTE PRIORE JAM EDITA ANNO PRÆCEDENTE.

1. **D**E Libertate Religionem Christia-nam apud Sinas propagandi nunc tandem concessa 1692. Relatio, composita à R. P. Josepho Suario Lusita-no collegii Pekinensis Rectore.
2. Excerpta ex libro Astronomico R. P. Verbiestii apud Sinas impresso de Studiis Monarchæ nunc regnantis.
3. Epistola R. P. Grimaldi ad Leibnitium Goa 6. Decemb. 1693.
4. Epistola R. P. Antonii Thomæ Belgæ, Pe-kino 12. Novemb. 1695.
5. Brevis descriptio itineris Sinensis à Lega-tione Moscovitica annis 1693.94. 95. con-fecti, emendatius edita.
6. Appendix excerptorum ex literis R. P. Gerbillonii in Moschicæ ditionis urbe Nipchou ad confinia Sinensium sita, da-tis 2. & 3. Septemb. 1689. ubi de bello & pace tandem conclusa inter Sinenses & Moscos.

IN PARTE POSTERIORE QVÆ NUNC PRODIT.

7. Icon Regia Monarchæ Sinarum nunc regnantis delineata à R. P. Joach. Bou-veto Jesuita Gallo, ex Gallico versa.

Benevolo



Benevolo Lectori

S. P. D.

G. G. L

Singulari quodam fatorum consilio factum arbitror, ut maximus generis humani cultus ornatusq; hodie velut collectus sit in duobus extremis nostri continentis, Europa & Tschina, (sic enim efferunt) que velut Orientalis quædam Europa oppositum terræ marginem ornat. Forte id agitat suprema Providentia, ut dum politissimæ gentes eademque remotissimæ sibi brachia porrigunt, paulatim quicquid intermedium est, ad meliorem vitæ rationem traducatur. Nec temere fieri arbitror, quod Mosci, qui vastissima ditione Sinas Europæ connectunt, & intimam septentrionis barbariem per glacialis Oceani littora imperio continent, Monarcha ipso, qui nunc rerum potitur, potissimum anuitente, & Patriarcha etiam, ut accepi, consiliis astimulante, ad quandam

rerum nostrarum emulationem eriguntur. Porro Sinense Imperium, ut magnitudine Europam qua exculta est provocat, & populositate etiam superat, ita multa alia habet, quibus nobis certet, aequo propemodum Marte, & nunc vincat, nunc vincatur. Sed ut rem in summam conferam, nam per omnia ire, etsi utilis, longe tamen & non hujus loci operæ foret; artibus quarum indigit usus vite, & rerum naturalium experimentis, fortasse compensatione facta pares sumus, habetque utraque pars, quæ alteri cum fructu communicare posse: sed meditationum profunditate & theoreticis disciplinis nos vincimus. Nam præter Logicam & Metaphysicam, & cognitionem rerum incorporearum, quas nobis proprias merito vindicamus; certe contemplatione formarum, quæ mente à materia abstrahuntur, id est rerum mathematicarum, longe excellimus, quemadmodum reapse comprehendere est, quando Astronomia Sinensis cum nostra in certamen vénit. Videntur enim ignorasse magnum illud mentis

mentis lumen , artem demonstrandi,
 & Geometria quadam Empirica con-
 tenti fuisse , qualem inter nos passim
 operarii habent. Disciplina etiam mi-
 litari nostris cedunt , non tam ignora-
 tione quam consilio quodam suo , dum
 aspernantur , quicquid in hominibus
 feritatem quandam facit aut alit , &
 propemodum emulatione altioris do-
 ctrinæ Christi , quam nonnulli male
 perceptam ad scrupulositatem produ-
 cunt , bella aversantur. Sapienter illi
 quidem si soli in orbi essent : nunc eo
 resredit , ut etiam bonos necesse sit ar-
 tes nocendi colere , ne omnem rerum
 potestatem mali ad se trahant. His er-
 go nos superiores sumus. Sed quis olim
 credidisset , esse gentem in orbe terra-
 rum quæ nos opinione nostra ad o-
 mnem morum elegantiam usque adeo
 eruditos , tamen vincat civilioris vitæ
 præscriptis ? & hoc tamen in Sinenfi-
 bus nunc experimur , ex quo illa gens
 nobis notior facta est. Itaque si artibus
 operaticibus pares sumus , si scientiis
 contemplativis vicimus , certe practi-
 ca philosophia (quod propemodum fa-
 teri

*teri pudet) vici sumus, id est Ethicæ
& Politicæ preceptis, ad ipsam vitam
usumque mortalium accommodatis.
Dici enim non potest, quam pulchre
omnia ad tranquillitatem publicam,
ordinemque hominum inter se, ut
quam minimum sibi ipsi incommodent,
supra aliarum gentium leges apud Si-
nenses sint ordinata. Certum est ma-
xima mala hominibus à se ipsis, & à
se invicem oriri, & hominem homini
lupum esse nimis vere dictum est, ma-
gna quidem nostræ sed catholica ad-
modum stultitia, qui tot naturæ inju-
riis expositi miserias nobis ipsi cumula-
mus, quasi aliunde deessent. Cui malo
si quod ratio remedium utcunque at-
tulit, certe Sinenses præ cæteris ad
meliorem normam accessere, & in va-
sta hominum societate plus pene effe-
cere, quam in sua familia apud nos re-
ligiosorum ordinum fundatores. Tan-
ta est obedientia erga superiores, tan-
ta erga seniores reverentia, tam reli-
giosus propemodum liberorum in pa-
rentes cultus, ut violentum aliquid
vel verbo in eos parare, inauditum*

pro-

propemodum illis, & pene, ut par-
tidium inter nos, facinus piaculare
videatur. Porro inter pares aut mi-
nus invicem obligatos mirabilis obser-
vantia & præcripta officiorum ratio,
quæ nobis, scilicet ratione & regula
agere parum assuetis, servitutis ali-
quid habere videtur, illis usu in natu-
ram versa, jucunde obitur. Rustici &
servi Sinenses, quod nostris cum stu-
pore observatum, cum valedicendum
est amicis, aut cum à diurna absen-
tia mutuo conspectu fruuntur, ita a-
manter, ita reverenter inter se agunt,
ut omnem magnatum Europeorum
provocent civilitatem. Quid jam à
Mandarinis, quid à Colais expectes?
Ita obtinuere, ut vix quisquam alte-
rum vel verbū offendat in communi
conversatione, & rara odio, ira, com-
motionis indicia excidant. Et cum a-
pud nos reverentia quædam & dispen-
sata conversatio vix ac ne vix quidem
primis novæ notitiæ diebus duret, mox
autem familiaritate procedente cir-
cumspectio exuat, jucundæ quidem
libertatis specie, sed unde mox con-

temtus, & mordacia dicta, & iræ,
 postremoque inimicitiae: contra Si-
 nensisbus vicini etiam, imo domestici,
 sepimento quodam consuetudinum ita
 continentur, ut perpetuae officiositatis
 species conservetur. Et licet nec ava-
 ritia, nec libidine, nec ambitione va-
 cent; ut hactenus de illis verum sit
 quod de Lunaribus populis apud Har-
 lequinum Imperatorem Lunæ in thea-
 tro sæpe repetebatur, perinde ibi o-
 mnia ut hic agi; (C'est tout comme icy)
 veramque adeo virtutem satis assecuti
 non sint Sinenses, quam nisi à cœlesti
 gratia & Christiana disciplina non
 expectes: vitiorum tamen acerbos
 fructus temperavere; & cum radices
 peccatorum de humana naturæ extir-
 pare non possent, propululantes ta-
 men frutices malorum pro bona parte
 succidi posse ostenderunt. Quis vera
non miretur Monarchiam tanti Impe-
rii, qui pene humanum fastigium ma-
gnitudine excessit, & mortalis qui-
dam Deus habetur, ut ad nutus ejus o-
mnia agantur, ita tamen educari so-
lere ad virtutem & sapientiam, ut le-
gum

gum observantia incredibili, & sapientum hominum reverentia vincere subditos, ipso calmine suo dignum judicare videatur. Nec facile quicquam occurrat memoratu dignius, quam videre maximum Regum, qui nunc omnia potest, posteritatem tam religiosè vereri, & annalium metu magis quam alii Comitiis ordinum & Parliamentis coerceri ; magnaue circumspectione vitare, ne quid ii quibus historiæ sui regni materiam præparare datum, in clausas illas atque inviolabiles arculas immittere posint, quo sua existimatio aliquando maculetur. Usq; adeo ut qui nunc regnat Cam-Hi, Princeps pene sine exemplo egregius, utcunque in Europæos propensus, libertatem tamen Religionis Christianæ lege publica indulgere, tribunalibus dissuadentibus ausus non sit, donec sanctitas ejus explorata fuit, & constitit non alia melius ratione magnum Principis & salutare consilium ad exitum perduci posse, de introducendis apud Sinas artibus scientisque Europeis. Qua ille in re mibi longius unus

quam omnia sua tribunalia prospexit
se videtur : tantaque prudentia
causam banc esse existimō, quod Si-
nensibus Europea conjunxit. Nam in
omni Sinensium disciplina pene ultra
privati hominis diligentiam jam cum
instructus fuit à pueritia, ut in Man-
darinorum examinibus, quibus hono-
res & magistratus deferuntur, judex
habeatur acerrimus, & (quæ apud i-
psos doctrina summa est) animi sensa
mirifice ipse exponat characteribus,
intantum ut conscriptum à doctissimis
hominibus Christianorum libellum
supplicem ipse potuerit in melius re-
formare. Itaque suæ primum gentis
doctrinam accurate intelligens, nec
jam iniquus judex, ubi à patre Fer-
dinando Verbiestio Brugensi Belga, ex
Societate Jesu, Joh. Adami Schalli Co-
loniensis discipulo, Europæarum sci-
entiarum gustum accepit, quem for-
rasse in illo Imperio hactenus habuit
nemo, non potuit non supra omnes Si-
nas & Tartaros rerum cognitione
prospectuque extolli, quemadmodum
si pyramidi Ægyptie turris Europea

im-

imponeretur. Memini R. Patrem Claudium Philippum Grimaldum ex eadem Societate insignem Virum, Romæ mihi non sine admiratione hujus Principis virtutem & sapientiam predicasse; nam ut de amore justitiae, de caritate erga populos, de moderata vivendiratione, ceterisque laudibus nil dicam; mirificam sciendi cupiditatem pene fidem superare ajebat. Nam is quem cognati Principes, & maximi Viri totius Imperii eminus venerantur & prope adorant, cum Verbiestio in interiore conclave per tres quatuorve horas quotidie Mathematicis instrumentis librisque operam dabat, ut discipulus cum Magistro; tantumque profecit, ut demonstrationes Euclideas percepit, & trigonometricis calculis intellectis, Astrorum phænomena numeris vincire posset. Quin & quod R. P. Ludovicus de Comitibus nuper inde redux relatione de Sinis edita nos docuit, librum ipse de Geometria confecit, ut tantæ scientiæ elementis & magnarum veritatum notitia liberos suos

*suos imbuat , Sapientiamque , quam
 suo Imperio intulit , in sua domo hære-
 ditariam reddat felicitati populorum
 etiam ultra vitam suam prospiciens :
 quibus consiliis , quæ agitari in huma-
 nis præclariora possint , non video.
 Geometriam autem non operarii sed
 Philosophi ritu intueri oportet ; &
 cum virtus fluat ex sapientia , sapien-
 tiæ autem anima sit veritas , ii autem
 demum quibus exploratæ sunt Geome-
 trarum demonstrationes , eternarum
 veritatum indolem perspectam habe-
 ant , & certum incerto discernere
 possint ; cæteris mortalibus inter con-
 jecturas vacillantibus , & propemo-
 dum quod Pilatus quærebat , quid sit
 veritas nescientibus ; ideo non dubi-
 um est , Sinensium Monarcham præ-
 clarè vidisse , quod in nostra orbis
 parte Plato olim inculcabat , neminem
 imbui posse scientiarum mysteriit nisi
 per Geometriam . Nec alia refactum
 puto quod Sinenses , et si ab aliquot
 annorum milibus miro studio doctri-
 nam colentes , & maxima doctis præ-
 mia proponentes , tamen ad exquisi-
 tam*

tam scientiam non pervenere, quam
 quod uno illo Europeorum oculo, Geo-
 metria scilicet caruere. Tametsi au-
 tem illi nos monoculos crediderint, ha-
 bemus tamen alium adbuc oculum,
 nondum satis ipsis cognitum, primam
 scilicet Philosophiam, per quam ad
 rerum incorporalium etiam notitiam
 admisisti sumus. Hanc docere jam para-
 verat Verbiestius, quod ita Christianæ
 religioni viam magis parari recte ju-
 dicaret, sed morte preventus fuit.
 Nunc accepi RR. PP. Gerbillonum &
 Bouvetum Jesuitas Gallos auspiciis
 Regiis, magnorumque ejus ordinis
 gentisque virorum Hedraei & Verbi-
 stii studio, cum quatuor aliis, Mathe-
 maticorum titulo ex Academia Scien-
 tiarum in Orientem missos, præter
 Mathematicas artes, etiam Philosophiæ
 nostræ doctrina Monarcham sibi
 devinxisse. Quod si ita pergitur, ve-
 reor ne mox omni laude Sinensibus in-
 feriores simus: quæ non ideo dico quod
 illis lucem novam invideam, cum gra-
 tuler potius; sed quod optandum sit
 vicissim nos discere, quæ magis adbuc
 in .

*in rem nostram essent, usum maxime
Philosophiae practicæ, & emendatio-
rem vivendi rationem, ut de aliis eo-
rum artibus nunc nil dicam. Certe
talis nostrarum rerum mibi videtur
esse conditio, gliscentibus in immen-
sum corruptelis, ut propemodum ne-
cessarium videatur Missionarios Si-
nensium ad nos mitti, qui Theologiae
naturalis usum praxinque nos doce-
ant, quemadmodum nos illis mittimus
qui Theologiam eos doceant revela-
tam. Itaque credo, si quis sapiens, non
formæ Dearum, sed excellentiæ popu-
lorum judex lectus esset, pomum aure-
um Sinensibus daturum esse, nisi una
maxime sed supra-humana re eos vin-
ceremus, divino scilicet munere Chri-
stianæ religionis.*

*Hoc tantum cœli beneficium lauda-
tissima caritate à compluribus annis
Sinensi Imperio inferre student, cum
alii in Europa, tum maxime Societas
Jesu, cuius, etiam eos qui hostem sibi
judicant, laudare in ea re virtutem
oportet. Scio Antonium Arnaldum
Virum inter nostri seculi ornamenta
refe-*

referendum & mibi olim amicum,
 concitato contra illos zelo, exprobrasse
 quædam eorum Missionariis, sed ut ar-
 bitror in nonnullis justo vehementius,
 nam Pauli exemplo omnibus omnia fi-
 eri oportet, & Confutii honores reli-
 giosæ adorationis nihil habere viden-
 tur. Idemque Arnaldus etiam cum
 Batavis Anglisque sua Apologia egit
 iniqvius, vel paucorum desidiam om-
 nibus imputans, vel Tavernerii pri-
 vata quædam in Batavos injuria ir-
 ritati dicterioris fidem habens, cum
 multa hominum millia in utrisque In-
 diis ab illis ad fidem confersa constet,
 & sepe privatis consiliis, publicaque
 auctoritate actum sit, ut in societatem
 laudis laborisque communis, seposita
 interim contentione veniretur. De
 quo, magnorum Principum pietatem
 & sapientiam intuens, reddit a Euro-
 pe pace non despero Tametsi religioso-
 rum ordinum institutum eam missioni-
 bus sacris commoditatem præbeat,
 quam aliorum conatus non facile as-
 sequuntur. Rem autem ita agi velim,
 at ne intelligant quidem populi, quo-
 rum

rum salutem meditamur, quibus Christiani inter nos disideamus, cum omnes catholice consentiamus in ea Christiana fidei precepta, quæ si illæ amplecterentur gentes, de salute earum nemo dubitaret; dummodo nihil hereticum & subditum & omnino dubitatione gravi libatum affricaretur. Quia in re ita prudenter agi oportet Ecclesiæ veteris exemplo, ut neque omnia mysteria inconsulte ingerantur animis non preparatis, neque tamen studio placendi gentibus Christiana veritas detrimentum patiatur, ut in Evangelio quodam Persece composto factum esse questus est Ludovicus de Dieu. Et cum intelligam Romanam ipsam interdum moram progressibus injecisse visam scrupulose quam ex relationibus sinistris orta; & non nullos male consultos rerumque humanarum imperitos, reclamantibus doctioribus, longinquis Christianos ad omnes occidentalium formulas addigere voluisse, qui sane error ipsis haud dubie florentis jam apud Abassinos Ecclesie interitus stetit: sperandum

dum est in posterum ex Christiane prudentiae prescripto cautius acturos & datus operam, ut magna illa occasione divinitus data recte utantur, ex quo Monarcha Sinarum publica lege Christianam fidem permisit, cuius negotii historiam præsens libellus tradit. Hactenus enim tolerabantur magis Christiani ritus quam permettebantur, nec vel Sinensium vel Tartarorum Principum favor, meritaque nostrorum aliud effecerant, quam ut conniveretur, suspensa legum executione, quæ in sectas improbatas districtæ habentur, quibus nostra religio connumerabatur; sed fecit materialis cœli studium, & (ut eleganter in opere quodam suo Sinice & latine edito ajebat Verbiestius.)

Regales animos dignata movere ut Uranie sancta nostra & vere cœlestis doctrina admitteretur. Mox Geometriae nostræ firmitas, ubi primum à Rege gustata est, tantæ admiratione fuit, ut facile crederet in rebus aliis etiam recta docere, qui sic ratiocinari didicissent. Riccius Sinensibus

primus quid Europæi possent sub initio
 tium seculi hujus ostenderat ; Schal-
 lus , sub Sinensi Monarcha & sub
 Tartaro successore publice triumphum
 egerat de Sinensi astronomia ; Verbi-
 estius rem Christianam sub Principe
 adhuc minore annis , hostili jam furo-
 re eversam , magna virtute restituit,
 & mox Regis juvenis familiaritatem
 adeptus , constantiam viri invenit.
 Usurum prompta voluntate Principis
 scientiarum dulcedine capti , & missi-
 onarios accersentem , aliquandiu lites
 impediere , quæ Vicariis Pontificis , &
 Lusitanis intercedebant jus Episcopos
 Sinis nominandi vindicantibus . Sed
 & inter Episcopos Heliopolitanum &
 Berytensem , cum ampla potestate à
 Pontifice in orientem destinatos , &
 missionarios ex ordinibus religiosis
 profectos privilegiisque suis & prima
 possessione subnixos varie certatum est ,
 donec Pontificis autoritas vicit . Com-
 positis ergo rebus Verbiestius sibi non de-
 fuit , & cum plurimum in animo Prin-
 cipis posset , persuasit ipsi , quod res est ,
 esse in Europæorum doctrina magna-

rum rerum thesauros, effecitque, ut
 quod nemo meminit à Sinis factum
 (nisi cum in occidentem destinatus
 olim legatus ex prima Indiæ Insula
 infelix Fæ idolum attulit) mittere-
 tur in Europam ille ipse quem dixi
Grimaldus, ut homines variarum ar-
 tium periti adducerentur. Cujus ab
 hoc viro suscepit laboris memoria tan-
 ti fuit apud Imperatorem (extincto
 jam Verbiestio, & nondum reverso
 Grimaldo) ut in libello supplice pro li-
 bertate religionis oblato, inter ma-
 gna Doctorum Europæorum meritare-
 censeretur. Mox cum quinque Jesu-
 itæ Galli Mathematicis scientiis instru-
 eti, ex Siamensi regno invitis quidem
 tunc Lusitanis ad finas penetrassent,
 nova occasio oblata est nostris Impera-
 torem demerendi. Mosci Barbaras
 nationes prudenti moderatione pau-
 latim sub jugum pellicentes, propaga-
 to in immensum Imperio, ita Tartaris
 Sinenibus appropinquaverant, ut
 tandem de finibus controversiae nasce-
 rentur. Res nunc armis, nunc tra-
 Etatibus acta est: Tandem in urbe

Nipchou ditionis Moscbicæ, utriusque gentis legati justis propemodum exercitibus stipati convenere, Sinenses secum adduxere patres Pererium Lusitanum, & Gerbillonium Gallum Jesuitas, quibus interpretibus factum est, ut ultima manus feliciter imponeatur negotio, firma pace conclusa, ipsisque Legatis publice profitentibus, in tanto morum & consiliorum divorcio & scrupulosissimarum nationum emulatione re infectæ discessuros omnes fuisse, nisi affirrissent. Quo deinde successu ipse Imperator prudentissime usus est, ut Europæos Doctores tribunalibus suis commendaret. Fæta mibi copia est literarum, quas ex loco Tractatum Gerbillonius ad Hedraum & Verjussium scripsit Moscisque curandas commendavit, ex quibus non contemnenda didici & in appendice subjeci. Quædam etiam brevis relatio novissimæ Moscorum ad Sinas pace jam facta obitæ legationis vel itineris potius hic adjicitur. Amplam & argumento dignam expectamus à Dn. Brandio Lubecensi, quæ

Ab-

Ablegatus ipso fuit. Addemus & Notitiam libri Astronomici Sinensibus simul & latinis characteribus à Verbiestio, editi, & à me inspecti, & breves R. P. Grimaldi Praefidis in Mathematico Tribunaliteras Goa ex itinere datas 6. Decemb. 1693. cum ad Sinas suos rediret; vel ideo quod spem egregiarum in Europam communicationum mihi fecere; & postremas R. P. Thomae natione Belga vice Praefidis in Mathematico tribunali, quibus nonnulla de insigni Christianismi progressu docemur, & spero excitari posse Europæas aulas Ecclesiæsque, ut operarios mittant in paratissimam messem. Ex his etiam colligi videntur Grimaldum, quem ut primum Pequinum attigerat, periculose decubuisse intelleximus magno publicæ rei bono restitutum esse. Hic cum Roma digrederetur, missionariorum partem maximam in Lusitanis navibus praemittens, constituerat terra ire per Moscos, literis & sigillo Tribunalis Regii rerum militarium supremam curam gentis instructus, & Magno Cæsare

fare nostro Regeque Poloniae in itine-
 re salutatis; sed nec sui negotii mo-
 mento, nec tantorum principum com-
 mendatione obtinere potuit ut à Ma-
 scis admitteretur, quod paulo ante fa-
 tum etiam R. P. Aprilis sensit, cuius
 itinerarium extat. A me Grimaldus.
 Andreæ Mulleri Pomeravi orientali-
 um rerum doctissimi, promissa Clavis
 Sinicæ acceperat, & virum, per Si-
 lesiam transiturus convenire frustra
 quæsierat, quanquam subdubitans de
 successu, nihil tamen in tanta re ju-
 dicans negligendum. Sed certabat
 in Mullero cum doctrina morositas,
 itaque & ego & Grimaldus & Lu-
 dolphus, & Magnus ipse Elector de-
 functus à quo Berolinensem præposi-
 turam acceperat, frustra fuimus; sive
 ille inventa sua nimio estimaret, sive
 nondum satis exulta in apricum pro-
 ferre dubitaret, majora credi putans
 de ignotis. Et eo usque processit sin-
 gulare viri ingenium, ut minas quas
 sparserat executus, schedas suas pau-
 lo ante obitum exussisse discatur, ambi-
 guo judicio, utrius nobis notitiam sub-
 tra-

trahere voluerit, scientiae suae an ne-
 scientiae. Ego, ut præclara aliqua jam
 tum obtinuisse, ita plura sperasse arbi-
 tror, quæ potuisset præstare si satis fu-
 isset adjutus; quod si intelligentibus
 ingenuerem omnem exposuisset, haud
 dubie magnorum principum, & sui
 præsertim domini favore desiderata
 supplexset. Interea quicquid hoc fuit,
 quod non plane di nihilo fuisse arbi-
 tror, obstinatione viri cæteraboni &
 bene meriti, Christianæ rei & miseri-
 onibus periit. Grimaldus autem, ut
 ad hunc revertar, impenetrabiles
 Moscos expertus, iter Genuam relègit,
 inde Massiliam & hinc Smyruam na-
 vigans, terra ad Persas pervenit,
 quorsum eum & ultra etiam, literæ
 meæ sunt secutæ, quasi commendati-
 tiis pro Grimaldo ad Persarum Re-
 gem suis Serenissimus Poloniae Rex ad-
 jungi jussérat, commendantibus RR.
 PP. Vota & Kochanskio: tametsi ipso
 jam digresso literæ Ispahanum adve-
 nere. Ex Persis per Usbeccenses Tar-
 taros & Bocharam porro ad Sinas
 cogitaverat sed infestis itineribus in

illa barbarie deterritus, tritiore via
per Goam & Indos Macaensem po-
stremo portum tenuit: & magno Prin-
cipis gaudio summoque honore in Si-
nensi Imperio fuit exceptus. Nunc res
Christianæ egregie amplificari dici-
tur, maxima spe progressum ma-
jorum, præsertim si verum est, quod
R.P. Adamus Adamandus Kochans-
kius, pollens insigni humanitate, præ-
claraque rerum præsertim mathema-
ticarum scientia, inventisque etiam
suis Jesuitici ordinis ornamento,
sibi nuntiatum ad me scripsit, Hæ-
rodem Imperii aliqua linguarum Eu-
ropearum notitia imbui. Jam ex Gal-
lia nova Missionariorum supplemen-
ta missuntur. Spero Germaniam quo-
que sibi & Christo non defuturam &
quod literis Viennam scriptis optare
me signivicavi, Cæsareo cum Moscis
fædere nuper icto mittendis ad Sinas
Evangelii præconibus aditus apertos:
summa Cæsar is pietate & sapientia u-
tente R.P. Menegatto Confessario, cu-
jus doctrina eminens auctoritati re-
spondet. Quod si ea recordi sit iis qd
quos

quod pertinet, putem aliqua moneri posse, ut divino munere, pronisque rebus tanto rectius utamur.

Jam olim Sinae Christum audire capere. Serum nomine Romanis & Gracis notos fuisse constat. Justiniani magni temporibus vermes serici textores allati sunt in Romanum Imperium, tunc etiam Cosmas Monachus Indopœstes supra alios remotarum gentium notitiam dedit. Ex ejus scriptis excerptam Inscriptionem Adultanam Africæ interioris Holstenius edidit. Idem Cosmas, quod nemo ante ipsum quantum constet, regionis Sericæ verum nomen prodidit. Nam Tzin vocat, quæ pronunciatione magis veritati accedit, quam nostra vulgaris, cum Sinas aut Chinam nominamus, Tschinam enim cum Lusitanis efferendam jam dixi.

Porro Syriae Christianos penetrasse ad Sinas & Christo Ecclesiam fundasse, monumentum prodit apud Sinenses nostro seculo repertum, quod edidit Athanasius Kircherus, & Andreas quoque Mallerus illustra-

stravit. Cum vero apud eruditos
 dubitatione aliqua libatum fuerit,
 Melchisedecus Thevenotius Biblio-
 thecarius in Gallia Regius, qui ma-
 xima rerum cognitione instructus,
 & praeclara consilia agitans Geographi-
 am imprimis illustrare cogitabat, sub-
 fidia quædā juvandæ ejus autorita*i* in
 Mahometanorum scriptis invénit, quæ
 vereor ne morte viri interciderint.
 Postea inquirens intellexi Herbeloti-
 um Gallum Orientalium rerum noti-
 tia instructissimum, qui & ipse obiit, Re-
 lationem quandam (Arabicam an
 Persicam) itineris per Usbeccenses ad
 Catainos vel Sinenses, magno Hetru-
 riæ Duci interpretatum, ubi compro-
 batio quædam extare dicitur antiqui
 apud Sinas Christianismi; quam in
 publicum proferri, cum rei Christianæ
 intersit, V. CL. Antonium Magliabe-
 chium, & meis & aliorum laudati-
 onibus saepè nominatum, hortatus sum,
 ut quicquid hoc est erui curet, favi-
 turo hand dubie Magno Duce cuius
 & quæ pietatem sapientia. Apud nos
 post Andr. Mulleri obitum Christianus
 Men-

Menzelius Serenissimi & Potentissimi
 Electoris Archiater, Sinensem eradi-
 tionem Berolini conservat; optimam
 ejus voluntatem animante pronofa-
 vore Electoris sapientissimi, & vera
 pietatis fideique propagandæ arden-
 tissimo studio nemini concedentis: Por-
 ro cum hac quam nunc edo Rectoris
 Collegii Pekinensis relatio à R. P. de
 Amaral Lusitano ex urbe missa, com-
 mendante Dn. de Cochenheim Cel-
 sisimi Episcopi Monasteriensis Consili-
 ario mibi communicata sit, putavi rei
 Christianæ interesse, ut mature extaret
 divini beneficii accurata recitatio, con-
 ferenda cum iis, quæ R. P. Ludov. de
 Comitibus in sua rerum Sinensi ex-
 positione Gallica attigit. Nec me inconsul-
 te facturum putavi, si quedam adji-
 cerem prefarerque, quibus Europæa
 pietas magis magisque ad maximum
 negotium prosequendum inflamme-
 tur. Certe tanta est perse amplitudo
 Sinensis Imperii, tantaque prudentissi-
 ma nationis in Oriente opinio, & in
 exemplam ceteris valitura auctoritas,
 ut vix inde ab Apostolicis tempo-
 ribus

ribus aliquid majus pro Christiana
fide agitatum videatur. Faxit Deus
ut solida & durabilia sint gaudia no-
stra, nec imprudenti zelo, vel inte-
stiniis dissidiis bominum Apostolica
officia obeuntium, aut pravis exem-
plis nostrorum turbentur.



LIBER-

LIBERTAS
Evangelium Christi an-
nunciandi & propagandi

In Imperio Sinarum,
Solenniter declarata

Anno Domini 1692. die 22. Men-
sis Martii;

&

Pro Europæorum notitia
descripta,

Autore

P. JOSEPHO SUARIO,
Lusitano Societatis JESÙ
Missionario Sinensi, Collegii
Aulici Pekinen sis
Rectore.

A

Ad



Ad Lectores.



Um semper muneri quo fun-
gor annexum fuerit, rario-
res Pekimensis aulæ even-
tus, bono & saluti animarum subser-
vientes, exactè confignare; unice cu-
perem hanc obligationem meam ad-
implere. Pluribus tamen occupatio-
nibus implicitus, quam vellem accu-
rate, conscribere nequeo eventum fe-
licissimum, beneficium maximum gra-
tiam singularem, qua liberalissima
Dei bonitas, intercedente plenissima
misericordia Matre, & gloriojo Pa-
triarcha Divo Josepho, Sinarum Pa-
tronō, currente hoc anno 1692, non
bujatis aulæ tantum, sed omnes apud
Sinas degentes, Christi operarios di-
gnata est exhibilare. Horum enim ma-
estissima suspiria in summa gaudia,
nauseabunda tœdia in lætissima ju-
bila,

3

Vila, gravissimas anxietates, in propè inexplicabiles voluptates, ac solatia tandem aliquando commutavit; Imo benignè indulxit, ut in populosissimo Sinarum Imperio, Domini nostri JESU CHRISTI sanctissima gratiae Lex (quæ annis jam centam per serenissimas Monarcharum Sienisium prohibitiones inter privatos patriones, veluti captiva concludebatur) disruptis hodie omnibus regulis, per S. Evangelii Ministros pro palam valeat prædicari, cæcutientes in idolatriæ tenebris, animæ purissimis veræ Fidei radiis illuminari, & inferni Draconis faucibus eripi, atque ad suavissimum sanctæ Matris Ecclesiæ gremium feliciter deduci.

Quoniam verò summum hoc beneficium condigne estimari nequit, nisi insuperabilia propemodum obstacula, quæ perrumpenda erant innescant; præmoneo in præsentis relationis Parte 1. præteriorum, in Parte 2. currentium annorum impedimenta:

A 2 unicè

misè illud exposcens, ut ne humiret
 pens stylus Lectores deterreat; sed
 potius excitet meum majorem Dei
 Gloriam promovendi, ommibusque
 & singulis gratificandi studium:
 quo præsentem, quantumvis exilem,
 attamen (si ad occupationes, quibus
 vix non opprimor, attendas) ardu-
 um sane laborem aggredier.

PARS

PARS PRIMA.

Præteriorum annorum impedimenta, quæ in Sinarum Imperio liberè prædicandæ Christi Legi, & Propagando Romano-Catholicæ fidei adversabantur.

CAPUT PRIMUM.

Difficultates mox sub Missionis Sinensis initia exortæ ; & quantopere eas attemperare adnixi sunt Missionarii nostri ad annum usque 1669.

 Uamprimum Evangelici Praecones Sinarum subintravere Imperium , cum innumeris prope adversitatibus continuo illis decertandum fuit. Difficultates originem suam ducebant ex ipsis Sinensium Legibus ; quarum altera ingressum in Imperium alienigenis omnibus præcludebat ; altera vero novas sectas .

& quameunque peregrinari , &
nondum approbatam in Imperio
Religionem indigenis severissime
prohibebat ; sed omnes & singulos
cogebat amplecti, vel comprobata
Sinenfium Literatorum legē, à Con-
futio, magistro illis maximo , tradi-
tam ; vel non nullas Bonziorum se-
ctas , non quidem uti Literatorum
Legem authentice confirmatas, sed
à tempore immemorabili dissimula-
tas , & diurna præscriptione in-
trodactas.

Prima Lex immane quantum Mi-
nistris Evangelicis adversabatur in-
trare in terras Monarchiæ Sinicæ
subjectas epiuentibus, vel in iis mo-
rari ; Verumtamen in gratiam illo-
rum, qui vel à Monarcha ad aulam
vocabantur, vel per ejusdem favo-
rem , aut Magistratum (Mandari-
nos Lusitani appellant) protec-
tionem , in variis Imperii provinciis
sparsi degebant, etiam alii clam sub-
intrabant vineæ Domini operarii ,
quos omnes sæpenumero Tribu-
nalis

nalis Mathematics Præses, Provin-
ciarum Prætoribus, seu (ut passim
appellantur) Pro-Regibus, atque
urbium Præfectis veluti familiares.
suos, & Fratres officiosè commen-
dabat. Ea autem commendatio id
efficiebat, ut conniventibus his Pro-
ceribus, operarii Christi, non modo
Imperii Provincias, securi ad spar-
gendum semen Evangelii peragra-
rent, sed etiam in iisdem constanter
residerent: Opus tamen erat Mis-
sionariis Imperium ingressis, caute-
prudenterque agere, ut Mandari-
norum conniventia perpetuaretur.
Atque ita quidem deinceps semper
erit; hæc enim prohibitiio advenis
præscripta, nec antiquata huc usque
fuit, nec antiquanda unquam vide-
tur, propterea quod sibi persuade-
ant Sinenses, hujusce Legis abroga-
tionem certum Imperio suo exiti-
um allaturam.

Difficilis erat exterorum in Si-
nense Imperium ingressus, & immo-

ratio; multo tamen difficilior Reli-
 gionis Catholicæ ingressus & pro-
 gressus propter secundam Legem,
 quæ incolis novari, peregrinam, &
 non approbatam in Sinis Religio-
 nem admittere, omnino prohibebat.
 Exinde ortum, ut nostra sanctissima
 Lex (quod censeretur nova, effetque
 extera, & in Sinarum Imperio non-
 dum approbata) nimium quam vi-
 lisperderetur, frequentibusque Man-
 darinorum edictis gravissime inter-
 diceretur. Qui tamen, non obstan-
 tibus his hujusmodi interdictioni-
 bus, relicta vana Dæmonum idolo-
 latria, veritatem Catholicam ample-
 cebantur, illis illorumque magistris
 Divinæ Legis præconibus, frequen-
 tes omnino futilendæ erant perse-
 cutiones. Quæ adeo exofam Dei
 Legem Ethnicis reddebat, ut ne
 mentionem quidem fieri de illa pa-
 terentur,

Hinc fuit, quod, ut tot tantisque
 malis occurreret venerabilis P. Ma-
 thæus

thæus Riccius Sinensis Missionis Conditor, ipse ejusque comilitones; & cæteri de Societate, qui subinde penetrarunt in Sinas, acerrimam literis Sinensibus operam navarent. Comparato enim Literati Sinensis nomine, cum majori æstimationis opinione in Magnatum ac Mandarinorum congressibus comparebant, eorundemque facilius aucupabantur gratiam ad perpetuandam Missionem, patrocinandum Neophytis, atque sopiaendas persecutiones cum primis necessariam.

Et quia videbant etiam Mattheeos disciplinam, puod eam potissimum partem, quæ de Astris tractat, regnare in Sinis, ad augmentum Catholicæ Religionis, summâ diligentia desudarunt in absoluta Mattheeos scientia comparandâ. Ob cujus excellentiam, præsertim Astronomiæ Missionarii nostri in Pekinensi aula stabilem fixere pedem, copiosisque sunt privilegiis condendi.

89

corati. Omnia verò facile pri-
mas tulit P. Joannes Adamus Schall;
qui propter insignem Matheos
peritiam (Tartaris rerum jam po-
tentibus in Sinis) ex speciali Im-
peratoris Xunchii (a) benevolentia
Tribunalis Mathematicæ supremus
Præses constitutus, atque rarissimis
honorum prærogativis cumulatus
est: quæ in summum Christianæ Fi-
dei cedebant emolumentum. Ac-
cessit eo quoque tempore P. Gabrie-
lis Magallanii artificiosa industria,
qua ejusdem Tartaro Sinensis Impe-
ratoris mirifice pariterque fructuo-
sè captabat affectum.

Idcirco sub hoc Monarcha Evan-
gelium Christi satis libere, ac feleci-
ter annunciatatur; Licet enim per-
multæ in Missionarios, & Neophitos
insurgerent persecutioes, Joannis
Adami authoritate confessim sopia-
bantur,

Sed

(a) Vulgo Xun Chi.

Sed hæc facilitas Patris Joannis Adami in restinguendis illis incendiis gratiis Regiis nutrita, scintillas, quas sub cinere doloso zelus Legum suarum in Sinenibus fovebat, extinguere non poterat. Demortuo enim Xunchio Imperatore, & pro parvulo Khamhio (*b*) Primoribus quatuor Imperium administrantibus, in Joannem Adamum, & cæteros Evangelii Præcones conspirarunt, Divinæ Legis hostes ; sed omnium crudelissimè quidam Islamquam Sien appellatus : qui vehementer cupiens Catholicam Religionem in toto Imperio prorsus delere, artificiosè confictis criminationibus, apud iniquissimos ejusdem secum furfuris Judices effecit, ut supremi omnium Judicis Dei justissima Lex injustissime condemnaretur ; atque ex universo Sinarum Imperio decreto publico (quod nomine Pupilli quatuor illi Directores Imperii subscri-

(*b*) Vulgo *Kham Hi.*

scripſere) proſcriberetur. Evange-
lici operarii agebantur in exilium,
at vero Joannes Adamus capite da-
mnabatur : quam quidem ſen-
tiam mortis revocavere poſtinodū,
& Joannes dimiſſus ē carcere, Peki-
ni (ubi paulo poſt vivere deſiit).
remanere jufſus. Ibidem mansere.
Patres Ludovicus Buglius, Gabriel
Magallanius, & Ferdinandus Verbi-
eſt. Cæteri omnes ad Provinciam.
Quamtuſ vulgo dictam in exili-
um amandati.

CAPUT SECUNDUM.

Noſtrorum induſtriæ pro Libertate
Fidei Catholicæ conſequenda adhi-
bitæ anno 1669. Novum decre-
tum eodem anno exerci-
tium Romanæ Religio-
nis prohibens.

Quamquam teneræ etiamnum
queſſet ætatis populosiſſimæ Si-
nensis Monarchiæ hæres Khamhius
quia

quia tamen iudicij maturioris erat,
 quam aetas prae se ferret, & aman-
 tissimus iustitiae, eamque rarâ huma-
 nitate attemperabat, absque Tuto-
 ribus anno Domini 1667. imperare
 cœpit benevolus, prudens, ac ju-
 stus Monarcha. Mox sub principia
 Monarchi hujus regiminis Ludo-
 vico, Gabrieli, & Ferdinando, qui
 Pekimi remanserant, reviviscebant
 nonnulla spes: fore enimvero ut
 Catholica Fides non tantum ad nu-
 perum brevi esset redditura florem,
 sed etiam sub hoc Monarcha per li-
 berum, ac publicum exercitium,
 maturos animarum fructus copiose
 esset prolatura. Laetabant illam
 (præter divinam clementiam, quam
 Missæ sacrificiis, assiduis precibus,
 gemitibus, & lacrymis implora-
 bant) magni duo Imperii Proceres
 Societatis amantissimi: Eorum al-
 ter erat primus Principum Sangu-
 nis Regii, qui vulgo Reguli dicun-
 tur, maximæ æstimationis in Impe-
 rio: supremus Colaorum alter, pri-
 mus

mus inquam Imperii Minster, & regnanti Monarchæ arcta affinitate conjunctus, *So San Laoye* nuncupatus. *So San* sunt istius Principis cognomina; *Laoye* additur honoris gratia, & Idem valet *So San Laoye*, ac Dominus *So San*.

Princeps iste, quo tempore iniquissimus ille supradictus Quatuor-Viratus Imperii gubernacula tractabat, unice cupiebat gratificari nostris, & compensare quodpiam sibi exhibitum obsequium. Sed apud juratos hostes nullus dabatur gratiae locus. Præsentem verò occasionem opportunam ratus, eamque utrisq; ulnis complexus, tam multa de nostris apud Imperatores magnifice studioseque dixit, ut Monarcha eos queri, & de re Astronomica consuli jusserit; ac tandem Ferdinandum (bac in scientiâ perquam excellentem, quique publicis in disputationibus Sinenses Astronomos semper vincere consueverat) Matheos Tribunali præfecerit. Evecatus

Catus postmodum Ferdinandus ad Monarchæ colloquium , propositis sibi omnis generis quæstionibus tam eruditè satisfecit , ut nimium quantum Augustum Principem rebus nostris propitium reddiderit . Nec minòri industriâ in Religionis Catholicæ bonum inibat ejusdem Monarchæ gratiam , graphicis artificiosisque operibus Magallatius .

Acquisita Imperatoris benevolentiâ , quæ magis ac magis augebatur indies erga Nostros ; omnes tres sicutiul , habitâ alloquendi copia , postquam Christianæ Religionis summam ipsi prolixè aperuère , de iniustiis quodam sibi per summum dedecus calumniis graviter conquesti sunt . Imperator , & justissimæ Catholicæ Fidei catisæ favere , & se nostris de toleratis immerito injuriis compati indicabat . Commodissime etiam acciderat , quod tum temporis (circumagebatur jam annus 1669 .) unum ex nuper gerentibus Imperiū , *Patrocum* dictum Christiani nominis hostem peracerbum , ob

cri-

crimen læsæ Majeſtatis Imperator
compegerit in vincula. Edictum
eſt protinus, ut quicunque damni
quidpiam ab illo paſſi fuerant, obla-
tis de more libellis, Imperatori expo-
nerent. Plurimum paſſa fuerat Chri-
ſtiana res: idcirco Ludovicus Bu-
glius. qui cœteris tum præerat, ex
eorundem confilio, urgente etiam
memorato Regulo Patrono noſtro,
decrevit apud benevolum Monar-
cham, juridice Legis Divinæ cau-
ſam agere. Nec mora, libellum for-
mat ſupplicem, in quo accurate re-
fert barbaras perſecutiones, ſub
Quatuor Viris innocentissime ex-
antlatas, Legemque Divinam, &
illius Praecones per Yamquam Si-
enum injuriosiſſime accusatos; hu-
miliſter ſupplicens, ut Imperator,
& cauſam examinare, & inocen-
tiā palam facere juberet. Libelli
autem tenor erat hujusmodi.

, Offerunt libellum ſupplicem
, Ludovicus Buglius, Gabriel Ma-
, gallanius, Ferdinandus Verbiestus.
, Cauſa

„ Catifa supplicandi multiplex: frāus
 „ in primis ; quā circum ventus
 „ Princeps; & violentia, quā præci-
 „ pitati in interitum innocentes;
 „ communi cum indignatione , &
 „ offensā tam superum , quam mor-
 „ talium. Obtestamur itaque Maje-
 „ statem Regiam, ut extinguat quid-
 „ quid etiamnum latet nequitiae con-
 „ federatæ, & sic palam faciat mun-
 „ do causam, innocentiamque Joan-
 „ nis Adami; vitâ licet jam defun-
 „ tū. Eti.

„ Hoc igitur cum dolore gemi-
 „ tuque nostres dicimus annum jam
 „ agi quadragesimum octavum , ex
 „ quo popularis ille noster , & lon-
 „ ginquus advena Joannes Adamus
 „ pervenit ab occidente in hanc au-
 „ lam ; & imperante etiam tum fa-
 „ miliz superiore Taiminga , pro-
 „ tinus ex mandato Regio curam
 „ sulcepit rei Astronomicæ. Deinde
 „ verò beneficio singulari novæ hu-
 „ ris Tartaricæ familie, novo jus-

„ fus diplomate perseverare in illo
„ munere, constanter annos viginti;
„ & amplius, nemine omnium vel
„ adversante, vel obtructante, mo-
„ tuis cœlestes, annuasque vicissitu-
„ dines accurate supputatas, ritè
„ quotannis vulgavit per Imperium:
„ quoad (proh dolor !) tandem in-
„ cedit in insidias, ac manus impro-
„ bi veteratoris Yamquamfieni. Qui
„ quidem homo, imperante familia
„ Taiminga iussu Regio cælus fu-
„ stibus, jam sēmel pænas dederat ac-
„ cusatiōnis absque ullo fundamen-
„ to per summam injuriam institu-
„ tæ. Et tamen idem nunc rursus
„ tyrañica frētus authōritatē (unius
„ maxime patrōcumi) hāut dubi-
„ tavit erroris arguere Astronomi-
„ am Europæam, eamque regulam,
„ quam præcedens Imperator ab an-
„ nis decem, & amplius stabiliverat,
„ temere criminari: quoad iudicis
„ nuper comitiis (in rem nostram
„ sane feliciter) iusti sunt Principes
„ pfinti

19

, primi & secundi ordinis, nec non
Regiorum tribunalium Præsides
& Assessores, examinare denuo no-
vam illam methodum ; quæ & ap-
probata tunc fuit summo consen-
su omnium , ipseque mox Ferdi-
nandus jussu beneficioque Regio-
Astronomicæ rei curam denuo
suscepit : nec fas deinde cuiquam
fuit movere amplius hanc contro-
versiam.

, Sola hunc supereft declaranda
similiter Lex , atque Religio Do-
mini Cœlorum , de quo p̄vetū-
stus ille Codex vester ait : *Supremus*
est & maximus Imperator, scilicet qui descendens in hac inferiora
tremendam suam Majestatem manifistat, estque ipse conditor
omnium rerum ac Dominus . In
occidente quidem nostro servant
ipsius Legem triginta, & amplius
tum regna , tum Satrapiae , unius
omnes instar familiæ , idque iam
per annos mille , actrecentos , nec
B 2 secus

„ secus ac si foret dies una. Ex quod
 „ etiam potest intelligi Legis ejus-
 „ dem tam antiquitas, quam ampli-
 „ tudo. Quid? quod imperante
 „ Vanlieo (a) jam existebat in hac
 „ Sina, suntque adeo jam anni octo-
 „ ginta & amplius, quod eam Doctor
 „ Europaeus Matthæus Riccius fixo
 „ hic domicilio, scripto verboque
 „ vulgavit.

„ Summa porro Christianæ Lé-
 „ gis hæc est, ut veneremur cœleste
 „ Numen, ac diligamus proximum:
 „ nec alio fere spectant, quæ docet
 „ præterea, quam ut nos vincamus
 „ ipsi, & impleamus naturæ nostræ
 „ Leges omnes, fidei in primis erga
 „ Regem, obedientiæ, observantiæ-
 „ que erga majores; moderationis
 „ item modestiæque; quæ omnia
 „ præcipua sunt illius capita. Et
 „ talis quidem inter ipsa statim pri-
 „ cipia passim hic audiebat Lex no-
 „ stra: quam adeo tum nobilitas,
 „ tum

(a) vulgo Van Lie,

„ tum etiam magistratus habebant
 „ charam, & in pretio. Xunchius
 „ certe conditor familiæ hujus Impe-
 „ ratoriæ, adivit saepè numero ædes
 „ nostras ac templum ; & in huius
 „ quidem atrio jussit ipse de censu
 „ regio marmoreum erigi monu-
 „ mentum, suæ erga nos benevolen-
 „ tiæ: aliud item præfigi voluit ipsis
 „ foribus, quo ædes ipsas more gen-
 „ tis celebrabat , nimirum : *Sedes*
 „ *illustris penetrantis arcana.* Ipsum
 „ denique Joannem Adamum hono-
 „ ravit novo cognomento : *Præstan-*
 „ *tis & arcana Legis Doctor.* Quod
 „ si Religio Christiana perversa est,
 „ ac falsa ; quomodo virtus illa, ac
 „ sapientia memorati Imperatoris
 „ non eam severe omnibus inter-
 „ dixit ?

„ Etnunc tamen propter ea, quæ
 „ Yamquam sienus confinxit, concre-
 „ mati fuerunt libri Divinæ Legis,
 „ ædesque destructæ : quin & idem
 „ Yamquam sienus reum præterea

egit Joannem Adamum meditata
 perduellionis. Atqui nos cœteri
 que sociorum tam remotis e re-
 gnis advenæ, & qui terra mariquæ
 posuimus annos omnino tres in
 hoc itinere stadiorum nonagesies
 mille & amplius; nos inquam, qui
 nunc in Sinis degimus homines
 duntaxat viginti, & aliquod nati-
 quidem in Occidente, sed viventes
 ac morientes in hoc oriente, qui-
 bus tandem alis instructi sumus,
 quibus obsecro subsidiis, ad susci-
 pienda perduellionis consilia, &
 occupandum armis scilicet hoc
 Imperium? Et tamen os illud tor-
 tuosum, subdolæque confictiones
 tantum effecerunt, ut innocentes
 isti advenæ viginti & aliquot, ab
 legati sint in provinciam Canto-
 niensem; ubi etiamnum hærent
 miseri vincitorum instar, & nec
 progredi sinuntur, nec regredi.
 Cumque nullum crimen admise-
 rent, quod bonorum publicationem
 mereatur,

„ mereatur , ædes tamen ipsorum
 „ traditæ sunt aliis incolendæ : Loca
 „ sepulturæ destinata alii invaserunt
 „ quo magis etiam urgemur nostris,
 „ ut clara voce conqueramur de
 „ tanta iniquitate . Cumque jam
 „ tyrannis illa Patrocumi tandem
 „ venerit in lucem , & insignis ista
 „ insolentia solis instarjam patescat ;
 „ obsecramus Majestatem Regiam ,
 „ ut demittat sese , ac detegat hos ,
 „ qui etiamnum latitant dolos , ri-
 „ teque examinet , ac declareret cau-
 „ sam istam , ut sic patefacta defun-
 „ eti jam ministri innocentia , præ-
 „ dicet is ipse beneficentiam Impe-
 „ ratoris sui , quam vivus mortuus-
 „ que fenterit .

Similiter , quia ipso persecutionis
 tempore nonnulli Mandarinorum ,
 Catholicæ Religionis ergo , vel Ma-
 gistratibus abdicati , vel etiam in
 exilium ablegati fuerant ; hi ut ab
 exilio revocarentur in patriam , illi
 ad abrogatos honores ab Impera-

tore, Nostrī humiliter exposcebant ad calcem libelli , quem offerebant anno 8. Imperantis Khamhii Lunæ 5. die 5. salutis humanæ 1669. 21. Junii.

Non est moris in Sinenſi Imperio, ut injuriis affecti , supplicem per ſe ipſos libellum Imperatori præſentent ; fed recurrunt ad Tribunal (ad quod cauſa pertinere videtur) libellumque ſuum Tribunalis Præſidi, qui cum Imperatori porrigat, committunt. Quod ſi Tribunal quacumque de cauſa libellum renuat accipere, vel acceptum Imperatori offerre ; tunc licet petenti ad aliud concilium *Tum Chim Su* vulgo di-ctum recurrere ; quod recte ſupplicationum dicere poſſumus ; ejus namque munus eſt admittere libellos ſupplices , admissos diſcutere ; & ſi quidem æqua postulari videantur, Monarchæ præſentare.

Noſtrorum libellus deferendus erat ad Rituū Tribunal, quo inter

ter sex m^ajora Concilia Regia est or-
dine tertium ; & cujus proprium est
munus de rebus ad Religionem
spectantibus sententiam dicere. Si
vero Tribunal istum libellum rejice-
ret, recurrendum erat ut jam dixi-
mus, ad Supplicationum Tribunal.
Quia tamen Imperator hoc ipso tem-
pore aliquot Regulos ad Regiæ li-
men constituerat, ut omnes adver-
sus Patrocum querelas excipe-
rent, & ad se perferrent, Nostri,
& quod de Patrocomo, Christianæ
Religionis insectatore, conquere-
bantur, & quod cupiebant jam no-
minata Tribunalia, negotio Catholi-
cæ Fidei infensissima, subterfugere,
libellum suum prædictis Regulis
porrexere. Ab illis Principibus
humanissime excepti sunt, & libel-
lus confestim Imperatori præsenta-
tus. Quem Monarcha (uti curiæ
mos est) Tribunal Rituum transmi-
sit, ut pr^ob^d debitâ causæ justitia
suam promeret sententiam.

Nulla sunt apud Sinas Legum volumina , quorum auxilio in oce- currentibus causis judicium ferant. Cum vero cuipiam Tribunalum de- re aliquâ consultandum est , suum scrutatur tabularium , usque dum e- am ipsam , aut ei similem jam dis- cussam inveniat , vel certe decre- tum aliquod , aut in simili causâ jam latam sententiam rei, de quâ agitur , nonnullis additis , vel dem- pris , facile accommodandam. Jux- ta quæ tandem causam discutiunt , sententiam ferunt , & Imperatori subscribendam offerunt. Morem hunc Tribunalis Rituum Præses , & Assessores (omnes Christianæ Fidei capitales hostes) in causâ nostra expediendâ exacte servare nite- bantur. Quicquid enim Catholicam Religionem concernens , in tabula- rie Tribunalis inveniri potuit , id omne injus adducebant , sed vel pra- ve contorquentes , vel callide ac- commodantes Divinæ Legis pro- scriptioni,

scriptioni, quam ab Imperatore confirmandam enixe contendebant. Hæc omnia perspicue videre licet in illorum sententia, quæ fuit hujusmodi :

„Præses Cocilii Rituum, cum
 „suis Assessoribus exterisque Con-
 „siliariis, libellum offert, quo ex-
 „quirit reverenter voluntatem suæ
 „Majestatis. Ego subditus, ac Mi-
 „nister Regius, cœterique Admini-
 „stri, institutæ communi libertati-
 „one, comperimus, secundum ea
 „quæ referuntur in libello supplice
 „Ludovici Buglia, Gabrielis Ma-
 „gallanii, Ferdinandi Verbestii,
 „quod Religio Domini Cœlijam exi-
 „stebat in Sina temporibus Vanliei,
 „qui fuit superioris familiae Tai-
 „mingæ Imperator : jamque adeo
 „effluxisse annos octoginta, & am-
 „plius, ex quo Europæus Doctor
 „Matthæus Riccius pervenit in hunc
 „Orientem, fixoque hic domicilio,
 „vulgari fecit doctrinam suam.
 „quam

„ quam & scripto verboque declarat
 „ vit. Summam porrô Christianæ
 „ Legis hanc esse: venerari Cœle-
 „ ste Numen, ac diligere proximum;
 „ nec alio fere spectare, quæ Lex
 „ ista præterea docet, quam ut vin-
 „ camus nos ipsi, & impleamus
 „ naturæ nostræ Leges omnes, fidei
 „ in primis erga Regem, & obedientiæ
 „ erga majores, modestiæ item, &
 „ moderationis,

„ Nos interim facta disquisitione
 „ rursum comperimus, quod anno
 „ tertiodecimo Xunchii Imperato-
 „ ris, proxime defuncti, Luna un-
 „ decima acceperimus venerabundi
 „ edictum Regium, quo præcipie-
 „ bat is huic Rituum concilio hisce-
 „ verbis: *Ego ut administrum rectè*
 „ *boc Imperium. debo ante omnia*
 „ *necessario dirigere, probeque insti-*
 „ *tuere subditorum meorum corda*
 „ *adeoque rejicere doctrinas omnes,*
 „ *artesque pravas ac perversas. Et*
 „ *tresquidem secta una Literatorum*
 „ *scili-*

scilicet, actuae quæ suo quæque rita
 idola colunt, si pariter consideren-
 tur, omnes hoc efficiunt, ut agant ho-
 mines, quæ bona sunt abjiciantque
 mala; ut avertant sese ab eo, quod
 pravum est, & ad id quod est re-
 tum convertant. Verum sunt p-
 ter istas aliae quædam sectæ aber-
 rantes ac sinistræ quæ confundunt
 imperitam multitudinem, quæ so-
 ciant inter sese homines improbos,
 noctu congregantur disperguntur
 ortâ luce. Ex barum sectatoribus,
 ij qui tenuiores sunt nummis fere
 inbiant, ac turpitudini dedunt sese,
 qui vero potentiores sunt prossus
 abjiciunt obedientiam Regi debi-
 tam, & clanculum machinantur
 defectiones. Porro adhibui ego
 saepenumero severa quædam reme-
 dia: nondum tamen (utique p-
 ter meam opinionem) penitus ex-
 tingui potuerunt reliquæ istius ma-
 li: Totum hoc revera oritur ex eo
 quod existant in ipsa aula sectato-
 res

„res quidam, qui cum assistant Imperato-
 ratori, patrocinantur interim illis
 „bominibus, qui specioso utentes no-
 mine religiosarum supplicationum
 „& oblationum, multa interim per-
 „petrant temere & inverecunde.
 „viris pariter ac fæminis parum
 „honeste concurrentibus. Et cœte-
 „ra. Nos igitur voluntati Regiæ,
 „tam disertæ reverenter morem
 „gerentes, vulgavimus tunc seve-
 „ram interdictionem, extatque
 „processus totius rei in tabulario
 „nostro.

„Præterea fundatör hujus novæ
 „dominationis, Imperator defun-
 „ctus, honoravit Joannem Ada-
 „mum Elogio marmori insculpto.
 „Elogii pars una sic habebat: Ego
 „dum lustro septa mea venatoria,
 „sita ad meridionalem plagam Re-
 „giæ nostræ, forte transivi per tem-
 „plum quoddam, in quo vidi Spir-
 „itus cujusdam venerandam effigi-
 „em, (a) similem hominibus illius
 „regni;

„ regni ; forma quoque templi , &
 „ suppellec & ornamenta dicebantur
 „ agere de rebus, quæspectant ad le-
 „ gem Domini Cœli. Joannes au-
 „ tem Adamus, qui ante decades ali-
 „ quodaniorum in Sinae est in gres-
 „ sus ; præclare servat Legem istam ,
 „ servitque dicto spiritui (cui etiam
 „ extruxit novum istud templum) non
 „ sine laude insignis observantie, in-
 „ tegritatis innocentiaeque. Plane
 „ vir est egregia vita : adhuc vere
 „ impiger ac sedulus ; & denique
 „ vir prorsus eminentis. Aliaque ibi
 „ dicuntur ejusdem fere senten-
 „ tiæ.

„ Decimus præterea Ferdinandus
 „ dum Verbiestium ; ac Socios ipsi-
 „ us, prout ipsimet quondam juri-
 „ dice interrogati professi sunt, ad-
 „ mittere in Legem suam mares
 „ æque ac fœminas : quo eriam
 „ tempore utentes aquâ purâ abluti-
 „ sive, hinc

(a) Loquitur de pietate Christi Salvatoris
in imagine.

„unt ipsis frontem , & sic remittuntur eorundem peccata. Adhæc
 „quotiescumque seu viri seu fœminæ ex iis , qui jam suscepereunt
 „Legem, quodpiam delictum commiserunt, ipsos tunc loco Dei solvere illud ac remittere ; quotquot
 „item ægrotant cum periculo , intungere illis oleo sacro organa
 „quinque sensuum , & Deum tunc proculdubio miseratum illis ignorare scere peccata. Cœterum iidem
 „Christiani non cremant (b) parvum avis suis , ac majoribus
 „vitâ functis, quod est utique non observare Legem honorandorum parentum. Nec est interim quidquam , ex quo dilucide patescat , vel solutio peccatorum , vel auxilium , vel alia quæpiam utilitas istius Legis ; sed pertinet ipfa ad sectas

(b) Ridicula superstitione est , qua ii maxime , qui Bonzi audiunt , opitulari conantur suorum animabus , apud Inferos detentis ,

„ fetas, à tribus supra memoratis.
 „ diversas: non est igitur vera Lex,
 „ Lex Christiana: neque expedit
 „ eam admitti.

„ Ad id vero, quod præterea in li-
 „ bello suo prædicant tres Europæi
 „ homines, crematos fuisse libros
 „ fuos, ædium suarum alias fuisse.
 „ destruetas, alias vero traditas cer-
 „ tis hominibus qui incolerent, lo-
 „ ea item sepulturæ sive destinata, ab
 „ aliis fuisse occupata, & coetera.
 „ Dicimus, libros quidem, qui tra-
 „ ctant de Religione Europæa, item
 „ ærea numismata, tabulas item li-
 „ belli de propagatione Religionis
 „ ejusdem novissime excusi, hæc
 „ inquam, omnia, tamquam res pro-
 „ prias Christianæ Religionis, jam
 „ tum fuisse concrematas; templum
 „ quoque ipsorum aë domicilium,
 „ quod ad plagam occidentalem Re-
 „ giae Pekimensis situm est, ex man-
 „ dato (c) Regio tradita fuisse duo.

C

,,bus

(c) quatuor scilicet procerum tunc vices
 gerentium Imperatoris pueri,

„bus summis Præsidibus collegit.
 „Astronomici : alterum vero co-
 „rundem templum, situm ad pla-
 „gam orientalem ejusdem Regiæ,
 „concessum fuisse Adamo, Ludo-
 „vico, Gabrieli, Ferdinando incö-
 „lendum : tertium denique tem-
 „plum, situm extra portam *Feis*
 „*Cheim* dictam, traditum fuisse
 „Concilio Regio operarum publi-
 „carum, à quo & venundatum est;
 „emptor vero id solo æquavit in
 „usum suum. Alia interim templo
 „extra Pekimensem Provinciam si-
 „ta, nos optemperantes mandato
 „item Regio nondum destruximus,
 „sed habitari jussimus ab aliis. Lo-
 „ca tamen destinata sepulturæ ipso-
 „rum, nondum cuiquam attribui-
 „mus, sed ipsis reliquimus. Præ-
 „terea quod attinet ad titulum fa-
 „vore Regio præfixum foribus,
 „Sedes illustris penetrantis arcana,
 „simul cum altero titulo, qui simi-
 „liter

et collatus fuit ipsius Joannis
 Adamo scilicet, Prostantis & ar-
 tificie Legis Doctor. Interque hic
 titulis ideo concessus ei fuit a fun-
 datore novae consinationis, quia
 callebat ipse Astronomiam: non
 autem commendatur, vel il-
 lustraretur illius Religio; Quia
 animo propter ipsam illam causam,
 quod exercebat Joannes Adamus
 ac propagaret Christianam Religionem,
 privatus fuit sua dignitate,
 ac traditus crimini Tribunalis, ut
 castigaretur: dum autem delibera-
 tur de supplice, nos interim titulos,
 modo dictos eradi jussimus. De rebus
 liquis interim hominibus Europaeis
 numero supra viginti, cum verere-
 mear ne si relinquerentur hic, denuo
 vulgarent pravam Legem, & do-
 trinam suam; Nos consulta prius
 Majestate Regia alegavimus illos
 in provinciam Cantoniensem. Ad ex-
 tremum quod attinet ad tres illos ini-

C a. nistros

1.

Mistris Regios, Tumqueium, Do-
ctores Hiusvonsatum, & Hiuchi-
kentum, aliosque; hos omnes, vel
propter collatas pecunias in extru-
enda templa, vel quia susceperant.
Legem istam, vel propter conscri-
ptum protemium libelli supradicti
de propagatione Religionis Christi-
anæ, reos esse tunc judicavimus, a-
deoque privandos dignitate publi-
ca. Neque est, quod res istæ vo-
tentur jam amplius in deliberatio-
nem, quippe post examen accura-
tum latæ fuerunt sententiæ, extant-
que acta rei totius in tabulario no-
stro. Cœterum par erat à nobis si-
mul omnia sic expōni, & exquiri
sentientiam Majestatis Tuæ.

Hæc illi ita impiè callideque pro-
tulerunt; at imperator multo plus
tribuens æquitati causæ, nostrorum-
que precibus ac lacrymis, quam
impietati Judicum, & iniquæ senten-
tiæ calliditati, jubet sine mora trans-
ferrri causam totam à Tribunali Ri-
tuum

ad comitia Imperii , non nisi
ob res admodum graves indici soli-
ta. Constant ea ex Regulis , seu
Principibus ab Primoribus Regi-
stirpis & dignioribus Imberii Man-
darinis. Praeses Comitiorum erat
Regulus , de quo supra , societati
nostræ perbenevolus. Tres nostri
adesse jussi cum adversario Yam-
quamsieno , & Rituum Praeside , qui
partem quoque agebat , acerrime
decertaturi.

Multis criminacionibus , calum-
niis , & sophisticis argumentis ar-
mati adversarii ad certamen de-
scenderunt . omnesque Magistratus ,
ac Literarios Sinenses , iniquæ suæ
causæ patrocinantes & divinæ Legi
summè intenso , secum adduxere .
Ast æque præmunitus efficaci qua-
erat eloquentia Ludovicus Buglius ,
literis Sinicis juxtâ ac Europæis
scientiis doctissime eruditus , calum-
nias omnes , criminaciones , sophi-
cata , summo rationum pondere di-

C ; fertissimè

Seruissimè extricabat, ac diluebat, pa-
ri omnium Tartarorum Principum
admiratione, Sinensium vero Man-
darinorum & Literatorum invidiâ
ac dolore ; adeo ut unanimiter o-
mnes Principes, & Tartari Magi-
stratus pro Lege divina starent, ejus-
que promulgationem liberam , &
publicum exercitium tum advenis-
tum indigenis indiscriminatim, per-
mittendum censerent.

At vero Sinenses Magistratus
obfirmatè resistebant , non quidem
argumentorum rationumve mo-
mentis , sed merâ pertinaciâ & im-
portunitate , quâ tamen Tartaros
Principes haud potuerunt commo-
vere ; ut igitur illis illuderent , se
quoque illorum sententiæ assentiri
fimularunt ; sed dolo malo in ex-
arandâ sententiâ fensum illius ita
perverterunt , ut libertas Christia-
næ Religionis non nisi concedere-
tur exteris , indigenis vero interdi-
ceretur. Cæterum Imperator visà
sen-

Sententia, iterato comitia convocari,
 & super eodem Catholice Fidei ne-
 gotio consultare præcepit. Nostri
 rursum ad similem cum infenissi-
 mis hostibus conflictum advocati:
 Adversum quos , pro Lege Dei
 ejusque cultoribus Buglius etiam
 fortiori , quam nuper energiâ, elo-
 quentiâ, & evidentiâ , iniquissimas
 Adversariorum imposturas refel-
 lens, tam feliciter peroravit; ut tan-
 dem iustissimæ Tartaronum Princi-
 pum sententiaæ , omnes Magistratus
 Sinenses vel invisi subscriberent, &
 acta postremi conventûs hoc modo
 concluderent.

„ Ego summus Comitiorum Præ-
 ses, cæterique mecum Judices, ob-
 temperantes mandato Imperatoris
 nostri, postquam coacto ritè cætu-
 denuò institutus disquisitiones &
 consultationes nostras comperi-
 mis Yamquam sienum hominem
 improbum & nequam , confi-
 etis maligne criminationibus, im-

„ portare violenterque accusasse Rē-
 „ ligionem Christianam falsitatis ac
 „ pravitatis : quæ quidem Religio
 „ rejecta tunc fuit ac vetita per sen-
 „ tentiam ; nunc autem perspicue
 „ nos cognovimus , quod professio
 „ illa Christianæ Religionis nihil
 „ prorsus contineat , quod prayump
 „ sit, vel ad defectiones vergat per-
 „ turbationesque publicas.

„ Qua propter par est rursus
 „ constitugre, ut iis , qui sequuntur
 „ Religionem Christianam , liceat
 „ eam profiteri pristino ritu ac liber-
 „ tate , sic tamen , ut prohibeantur
 „ (a) instituere coetus majores , &
 „ spargere libellum de propagatio-
 „ ne ejusdem Religionis , aut ærea
 „ numismata. Cognomentum Jo-
 „ annis Adami : *Præstantis , & ar-*
 „ *cane Legis Doctor* eidem restitu-
 „ atur.

(•) Hęc autem idcirco vetanda judicabant,
 ne daretur ansa suspicionis (qua nostros
 jam absolverant) de agata defectione.

atur. **Care** sit etiam Concilio (b).
 „ Magistratum , ut eidem similiter
 „ restituatur (c) gradus suus di-
 „ gntasque pristina. Pari modo
 „ quod attinet ad Doctorem Hius-
 „ vonsemum & (d) alios; mandetur
 „ dicto concilio , ut exquirat , quid
 „ publici muneris ipsi quondam
 „ gesserint , & restituatur unicuique
 „ manus suum. **Quod** item attinet
 „ ad templum ac domicilium , sita
 „ quondam extra Portam hujus Re-
 „ giae *Fen Chiu* dictam , restituantur,
 „ & pretium , quo venundata fue-
 „ runt , & fundus ipse Ferdinando,
 „ ac sociis. Detur vero in manda-

C 5

(b) Primum est inter sex majora Regia ,
 propriumque illius munus Magistratus
 dispensare , & de corundem causis co-
 gnoscere.

(c) Vita iam pridem factae defunctus A-
 damus , sed perverstus Simarum nos
 est , ut mortuis innocentibus restituantur
 dignitates , quibus injuste deturbati fue-
 rant viventes.

(d) Erant circiter duodecim Catholicz Re-
 ligionis causâ privati suâ dignitatem .

„ tis Gubernatori Provinciarum
 „ Quantum, & Quantisi, item Pro-
 „ regi proprio Provinciae prioris,
 „ ut expediant aliquos e ministris
 „ suis, qui homines Europaeos
 „ quinque & viginti, ob causam
 „ Christianae Religionis alegatos
 „ in dictam Provinciam, deducant
 „ in hanc aulam; qui ubi pervene-
 „ rent, exquireret tunc Concilium Ri-
 „ tuum voluntatem suae Majestatis.
 „ Præterea Mandarinis Li cu pê &
 „ (e) aliis procuret Concilium Ma-
 „ gistratum, ut singulis pro suo
 „ cuiusque gradu ea impendatur be-
 „ neficentia Regia, quæ mortuis
 „ consuevit impendi; filiique, & fra-
 „ tres eorundem ab exilio revocati,
 „ quotquot publicam gesserunt di-
 „ gnitatem, eam recuperent.

„ Jam si agitur rursum de Yam-
 „ quam sieno; utique nixus ille fuit
 „ iniquo

(e) Quatuor erant e Collegio Astronomi-
 co privati publico munere, fortunis, ac
 vita.

, iniquo patrocinio; (*f*) gratiaque.
,, Nuper certe cum per se æstimas-
,, set Imperator, quæ ab illo peccata
,, fuerant, (*g*) sine mora privavit
,, hominem sua dignitate, ac Magi-
,, stratu, usurpus deinceps opera Fer-
,, dinandi ad Astronomicæ rei cu-
,, ram & administrationem. Ex
,, quo potest intelligi eundem Yam-
,, quamfienum dum grassatus quon-
,, dam fuit tot mendaciis & calu-
,, mniis, id revera fecisse fretum au-
,, toritate potentiaque perfidi Patro-
,, cumi, qui & auctor ipsi fuit, ut
,, sic faceret. Plane sic res habet:
,, innixus Yamquamfienus isti soci-
,, etati improborum atque rebellium
,, per meras fraudes, & calumnias
,, præcipitavit homines innocentes
,, in interitum. Idem quoque sua
,, authoritate demolitus est ac de-
,, struxit altare nec non marmore-
,, , um.

(*f*) Scilicet Patrocumi.

(*g*) Variis in rebus spectantibus Astro-
miam, cui fuerat praefectus Iaco Adami.

, cum monumētū in Templo Do-
 , mini Cœli: cum tamen ea man-
 , dato Regio verita fuissent violari.
 , Quæ cum ita sit, cum fuerint osto-
 , capta accusationum ex odio & te-
 , meritate protectarum, quibus
 , Yamquam siens nocuit certis ho-
 , minibus, cumque alias similiter
 , instruxerit calumnias, paulò ante
 , memoratas: ipse quidem plecta-
 , tur capite sutor vero, & liberi ex-
 , ules abeant in Tartariam nostram
 , Nīm cū ta.

Publico omnium consensu tam
 secundo felicique Decreto exarato,
 non dubitabatur amplius de Impe-
 ratoris approbatione: tum quia Mo-
 narchæ Sinenses non nisi quam ra-
 rissime contra Tribunalium, specia-
 timque Comitorum consulta quid-
 piā decernunt: tum quia ipse
 met Imperator ad evicendam Le-
 gis Divinæ causam plurimum coo-
 peratus fuerat. Nihilominus tamen
 Christiani nominis adversariis ad-
 huc

buc via supererat , qua ad impro-
bandum præcipuum hujus consulti
caput (nempe Religionis Christianæ
libertatem) Monarcham inducerent,
Unum ex aulæ Ministris Imperato-
ri carissimum (cujus privatis consi-
liis plerumque utebatur) dolosis su-
bornant artibus , qui fidei Catholi-
cæ libertatem ex ratione status , ut
loquimur , petitis argumentis , Mo-
narchæ dissuadeat ; suadeat vero , ut
pro suâ pietate improbum Yam-
quam sienum à promerita capitis
poenâ absolvat . Et Imperator , ut qui
etiam tum teneræ ætatis esset , atque
siorum in sententiam inflecti facile
posset (præsertim sub pietatis specie)
fucatis Ministri consiliis acquevit ,
& ad Comitorum consultum dedit
rescriptum hujusmodi .

„ Opportebat mè quidem hic
„ subscrivere sententiis vestris , i-
„ psimque Yamquam sienum morti-
„ addicere : Verutamen , conside-
„ ratâ hominis ætate admodum pro-
„ vecta

„ Vœtâ, ego pro lenitate meâ & cle-
 „ mentiâ , ipsum hæc quidem vice
 „ mortis supplicio , uxorem verd.
 „ & liberos exilii pœnâ absoluo. (a).
 „ Europæos homines quinque , &
 „ viginti , non est necesse adduci in
 „ aulam. Ad Christianam Religio-
 „ nem quod attinet(excepto quidem
 „ Ferdinando,& reliquis, qui eam si-
 „ cut prius ipsimet exerceant licet,)
 „ quoniam verendum est, ne foris in
 „ hæc Provinciâ Pekimensi, coeteris-
 „ que , denuo forte extruantur tem-
 „ pla,& suscipiatur ista Religio, man-
 „ do rursus expediri diplomata , qui-
 „ bus id severe interdicatur. Cœteral-
 „ vero quæ censuistis approbo,& ra-
 „ ta habeo.

C A.

(a) At non absolvit Deus , quippe duobus
 post mensibus extinxit impium calu-
 mniatorem, Iavo proflus ac pestilendi
 motbo corruptum,

CAPUT TERTIUM.

Nostrorum cohatus , ut modo relata Legis Divinæ prohibitio revocatur. Decretum, quo sub initium anni 1671. prohibitionem Imperator renovavit.

Exprimi nequit , quanto Nostri excrucientur dolore, postquam vanæ evasissent spes tantæ , & longo tempore studioque experita, ac proximodum obtenta Christianæ Fidei Libertas pertinaciter vetaretur, Missionariorumque exilium diutius protraheretur. Mandarini Religio- enis Catholicæ odio plusquam va- tiniano incensi, acerbum hunc dolo- rem exulcerabant crudelissime : ma- ximam enim adhibebant curam, ut toto imperio quantocvus pervulga- retur, & exacte observaretur novif- simum Decretum , quo majori in- dies cum despiciatui, tum odio divi- nam Lege incolæ haberent. Cate- rum

rum in tantis etiam malis, ad nova
 exquirenda remedia infractus No-
 strorum animus erigebatur. Ex
 quoniam perspectum erat, Monar-
 cham non male erga Divinam Ler-
 gem esse affectum, atque ad nuper
 rimum profereandum Decretum
 pessimo dole fuisse inductum (nam
 veluti alter Roboam , reliquo senio-
 rum Principum consilio , unius pa-
 rum experti juvenis suasionibus ac-
 quieverat) Bughius ex sociorum
 consilio unicam quae supererat ar-
 ripuit viam , qua Imperatorem ad
 revocationem , aut saitem ad mode-
 rationem Decreti induceret. Con-
 stituit igitur Monarchæ reverenter
 ac modeste exponere ; se suosque
 socios, reliquâ charâ Patriâ , per mil-
 le maris pericula , & innumera via-
 rum discrimina , ad Sinarum Impe-
 rium venisse, ea tantum de causa , ut
 incolis verum Deum , ejusque san-
 ctam Legem notam facerent. Quæ
 cum omnibus , singulis severissime
 pro

prohiberetur, non posse Europeos
apud Sinas diutius commorari, ac
præterim in illâ cum tanto Reli-
gionis suæ prebro ac dedecore, ade-
oque à Majestate Suâ demissime ex-
plicere, ut in Europam remeare si-
miseretur.

Non generosa tantum, sed audax
etiam videri poterat hæc Nostrorum
deliberatio, nisi certum plane fuisse
Monarcham tali in Europam redditui
neutiquam concessurum. Obsequia
enim sua impendio Imperatori gra-
ca esse sciebant, suamque præsentiam
instaurandæ & perpetuandæ Ma-
thesi, ac Kalendariis unice necessa-
riam : neque Monarcham ob inna-
tata sibi clementiam permisurum, ut
sibi qui à tam multo tempore in gra-
tissimiis obsequiis detinebantur, cum
tanta doloris acerbitate (quam hæc
inxpectata deliberatio abunde pro-
debat) præmit loco inflata, ex Im-
perio discederent, sed curaturum
potius, ut cruditi homines, tanto

D

jam

50

jam mœstre dejecti, digno quopiam
solatio quamprimum recrearentur.
Neque eos sua fefellit opinio. Cum
enim aulæ Ministri, quos Impera-
tor ad Collegium mittere solebat, ei
retulissent illam nostrorum pluri-
mis argumentis ac tristissimis que-
relis refertam petitionem; Monar-
cha aliquo tempore meditabundus
perplexusque substitit. Tum vero
unum ex iisdem Aulicis ad Colle-
gium misit, qui ad se deferret Legia
Divinæ Summam, & Apologiam
contra Yamquam sienum à Ludo-
vico Buglio sermone ac literis
Sinicis eleganter conscriptam. Qui-
bus perlectis, ex imo corde tractis
identidem suspiriis, quod nuperum
edidisset Decretum, vehementer do-
lebat: conversusque ad Aulicos,
Summis, inquit, ac verissimis Euro-
pæi nituntur argumentis. in iis, quæ
circa Legem Divinam dicunt ac pre-
ponunt. Erravi profecto, dum cæ-
terot

*terorum omniam neglegit et conflio ut
nius suationes complexus sum.*

Inter hæc (annus 1670. dies vero 27. Septembris erat) vehemens terræ motus Aulicis Pekimenibus non parum terroris incutit, Imperator e vestigio Ferdinandum acciri juber, eique varias de terræ motu proponit quæstiones, quibus ad Principis votum explanatis, quæ ante per aulæ Ministros, hic iterum suo & sociorum nomine Ferdinandus ipse coram exponit, ab Imperatore benigne auditus & benevole dimissus. Post ride vero ejus diei ad Collegium duos Monarcha legavit Aulicos, qui Buglium adeuntes, certiorum faciunt, afferre se Imperatori mandatum, ut ille ac socii flexis de more genibus Principis voluntatem exipient. Nostris mox ingenua provolutis, Aulicorum unus ita prosequitur: *Regia Majestas ait aqua sibi virili, nimiumque probari, quæ circa Legem Domini Cæli pro-*

32

prosulstis, propereas iubet, novum libellum offerartis supplicem, ut, quæ dignia desideratis & precati ostis, approbet vobisque concedat.

Interim Tribunalis Rituum Praeses, Christiano homini infensus, detrusus fuerat Magistratus: atque injus locum suffectus alius Joanni Adamo quondam intime amicus Nostri, veteri confisi amicitiaz, supplicem libellum, quem privato mandato Imperator fieri jussérat, magna fiducia illi tradebant: verum neque hic, neque Tribunalis supplicationum Magistratus exorari potuerunt, ut eum admitterent. Necesse igitur fuit Reguli illius, de quo jam saepe dictum, nobis amicissimi & Principis Sosani patrocinium implorare. Qui confessim Mandardinos Tribunalis Ritutum sui officii admonuerunt: Sed surdis cantabant fabulam. Nec segnitus obfistebant supplicationum Magistratus. At hos demum Solanus supplicem Nostro-

Prorum libertum accipere adegit ad
Imperatori offerre, qui stylo Sinensi
s'is Curia perquam accommodata in
hunc studium conceptus erat.

„ Nos Ludovicus Buglius, Gabrie-
l Magallanius, Ferdinandus Ver-
biestus ex remoto occidente subditus
tui reverentur, ac supplices cer-
tiorem facimus Tuam Majestatem
de rebus, ad tuam ipsius munifi-
centiam spectantibus; cui perdif-
ficile est referre vices, ac grates.
„ Nos subditi tui suspicimus admira-
bundi, que ipsa experimur In-
perarioriae Majestatis Tuæ perspi-
cacitatem, prudentiam, clemen-
tiamque amplissimam, nunc & o-
lim semper unam & eamdem, si-
c ut patuit nuper, quando felicit
examinatis aetis judicii, in quo
Namquam sienus falsi criminiis ac-
culaverat Joannem Adamum, &
post totam illam causam tuo jussu:
per Principem, Comitiorum Prae-
sidem, alioque Principes, ac
Primores stirpis Regiae praesides.

„Conciliorum tuorum, atque Cen-
 „sores Imperii, coactis rite Comi-
 „tiis, singillatim, & accurate dis-
 „cussam, iis quidem omnibus, qui
 „munere publico fuerant privati,
 „restituta fuit dignitas pristina.
 „Mortuis ea, quæ solet, impensa est
 „miseratio: superstites autem gau-
 „dent jam humanitatis & clemen-
 „tiae tuae munificentiaque donis;
 „nihil denique tam fuit humile
 „tamque exile, quo non se demiserit
 „beneficentia, benignitasque Tua.
 „Soli ex omnibus Antonius, cœteri-
 „que homines supra viginti, multo
 „jam tempore, vinctorum in mo-
 „rem detinentur in Provincia Can-
 „toniensi.

„Obversantur autem assidue o-
 „culis mentis nostræ dicti socii, ex
 „quibus multi jam natu sunt annos plus
 „minus septuaginta vel octoginta;
 „plures item quam decem artis
 „Astronomicæ periti anno decimo
 „sexto Imperantis Xunchii, man-
 „dato ejusdem Sinas sunt ingressi;
 „post-

„ postquam nempe Concilium Ritu-
 „ um, cuius acta etiam nunc extant,
 „ voluntatem Regiam exquisierat.
 „ Porro nos subditi Tui, ab ineun-
 „ te jam ætate nostra res omnes cu-
 „ rasque humanas abjecimus, & dis-
 „ ciplinæ Religiosæ operam damus,
 „ haustamque in Europa lucem
 „ & vitam finimus in Sinis, idque per
 „ annos prope centum à tempori-
 „ bus familæ Taimingæ ad hunc us-
 „ que diem. Et defuncto quidem
 „ Imperatori penitus perspectum
 „ fuit, Legem divinam expertem es-
 „ selabis omnis ac vitii : quo cir-
 „ ca etiam benefice nobis concessit
 „ ipse templum , tribuit titulum fo-
 „ ribus ejusdem præfixum , tribuit
 „ elogium marmori incisum; repeti-
 „ tisque vicibus Tartaro-Sinica Ma-
 „ jestas illa accessit ad templum no-
 „ strum , & permisit nos cœterosque
 „ sociorum commorari singulos pro-
 „ priis in templis, ac vacare Divi-
 „ no cultui studioque virtutum.

D 4

„ Obs-

„ Obsecramus ergo supplices
 „ Tuam Majestatem, ut demittas in
 „ nos perennem illam magnam-
 „ que beneficentiam Tuam, & beni-
 „ gne memor æruginarum Antopij
 „ ac reliquorum omni culpâ vacan-
 „ tium , digneris permettere, ut eâ-
 „ dem cum libertate , quâ tempore
 „ Imperatoris defuncti, liceat ipsis
 „ qui vegetioris quidem ætatis sunt
 „ remigrare proprias ad ædes ac-
 „ templa , aliis vero qui senes at-
 „ que decrepiti , ad loca sepulchrae
 „ suæ destinata ; ut sic humanitas ac
 „ benignitas illa, qua imperantis fa-
 „ miliæ conditor exteror complecti
 „ ac fovere consueverant , per Te
 „ perpetuetur. Hoc pacto , siquid
 „ vitæ nobis omnibus subditis Tuis
 „ erit reliquum , id omne beneficen-
 „ tiae Tuæ , qua nos ad vitam quo-
 „ da modo revocaveris . murus erit.
 „ Iterum hic supplices imploramus
 „ sapientiam Tuam , qua expendas
 „ ea , quæ modo proposuimus . &
 „ exe-

mandari jubeas. Con-
silio quidem Rituum similiter ex-
posueramus hæc omnia de scripto,
sed impetrare non potuimus ut re-
ferre ea pro Nobis Majestati Tuæ.
Quocirca nos ipsi, oblato reveren-
tibello, certiorem eam facimus,
eiusque Regium mandatum præ-
stolamus. Imperantis Khani
anno 9. die 20. Lunæ 1.

Hoc libello ,ut patet , non nisi
capite (ita enim expediebat) peteba-
tur nuperi Decreti revocatio , & Di-
vinæ Legis approbatio. Admisit
autem libellum Imperator , ejusque
examen ad servandam Imperii con-
siderationem , commisit Tribunal
Rituum. Interea Nostri omnibus hu-
manitatis officiis , sibi bene volos red-
dere conabantur Mandarinorum a-
nimos. Verum odium contra Le-
gem Dei ejusque Praecones adeo
exeverat , ut nullis potuerit offici-
is obsequiisque leniri. Cum au-
tem suas super causa nostra delibe-

D 5 ra-

rationes instituerent, in duas scilicet
debantur sententias: prima erat, non
licere (posito superiore Decreto)
de illâ catifâ rursus agere, cui senten-
tiæ Mandarini Sinenses sua quis que
nomina subscrispseré: altera statue-
bat ut omnes Missionarii Cantone-
Pekimum accerterentur, & cum Fer-
dinando Matheos Præfecto in aula
residerent; sed huic placito nemo
subscrispsit, præter Tribunalis Præsi-
dem, natione Tartarum, & olim
Joanni Adamo peramicum, & pri-
mum illius Assessorem, qui pariter
erat Tartarus & cliens Reguli, sin-
gularis Nostrorum patroni.

Binis hujusmodi sententiis No-
stri acerbe affictabantur: primâ qui-
dem, quia Divinæ Legis approba-
tioni omnino contraria, secunda
vero etiam, quippe quæ Evangelii
promulgationi & Missionariorum
libertati non minus quam prima
adversabatur. Metuebantque Pa-
tres, ne Imperator hanc secundam,
uti

ari mitiorem , sententiam confirmaret. Ergo sibi perbene volum primarium Imperii Ministrum Solfanum confessim adeunt , & enixe fanum confessim adeunt , & enixe precantur , Monarchæ persuaderet ne Missionarii omnes Pekimum venire , & ibidem commorari cogantur , sed singulis ad suas liceat Ecclesiias redire.

Summopere quidem exoptabat Imperator nostrorum votis omnino satisfacere , tum quia iudicis magis & magis Divinæ Legis veritatem affluebat , tum quia Patrum innocentiam . & adversariorum odium magis ac magis deprehendebat : adeoque faventissimum Religioni Catholicæ meditabatur ederet Decretum. Subodorati , quod erat , astutissimi Mandarini , vires omnes fraudulenter impendunt , ut Monarcham à laudabilissimo proposito avertant. Ad Pseudopoliticæ documenta ac in ratione status fundata sophismata configunt , & adversus Christia-

60

Christianæ Fidei libertatem plura addueunt. Nequissima omnia erant duo hæc argumenta. Primum, si libertatem Legis Divinæ Imperator concederet, æterni dædecoris sese expoperet periculo, ubi enim Imperii annales posteri lecturi essent, peregrinæ Legis approbationem exprobarent Majestati Suae; quasi vero maximum, antiquissimum, atque Illusterrimum Sinarum Imperium lege caruisset, eique necessarium foret, eam ab exteris emendicare. Alterum argumentum erat, quod novitatum amans plebs Legem Dei facillime amplexura esset, ac proinde Imperium a fôduis rebellionum timoribus obnoxia; uti quotidianis tumultibus sequaces infamium sectarum, quæ haud poterant unquam de Imperio extirpari, sæpiissime comprehenserent.

Sane hæc non tantum Principi, juveni facili & flexili, sed cuicunque

Die Monarchæ sapienti (cui deest
lumen Fidei & gratia Dei) à ipsa
sententia avocando abunde suffi-
cienterent. Noster Imperator se se sit-
ter sacrum & saxum (ut ajant) pos-
sum cernens, holebat aulæ Proce-
res, quorum plurimi Mandarini Sin-
ensis adhæserant, male contem-
tos dimittente, sed etiam nostris
tunice cupiebat gratificari. Quare
medium artipuit viam, ac utrisque
aliquid concessit. nostris quidem in-
dulxit, ut detenti in Cantonensi
provinciâ Christi operari, ad suos
singuli Ecclesias redirent, uti sua-
debat Princeps Solanus; Cœteris
verò aulæ Proceribus & Sinensibus
Mandarini dedit, ut Dei Lex rur-
sus indigenis prohiberetur. Dec-
creti erat sequens tēnor.

„ Secundum ea, quæ nobis signi-
ficata sunt à Ludovico Buglio ac
sociis, Antonius, ac cœteri (quos
inter multi sunt annos plus minus
„ septua-

„ septuaginta vel octoginta natu-
 „ jam diu & absque culpâ sua deti-
 „ nentur in provincia Cantonensi
 „ &c. ex his igitur eos, qui periti
 „ sunt rei Astronomicæ, jubemus
 „ feligi, ac venire in Regiam, u-
 „ na cum Ferdinando commoratu-
 „ ros: iis vero, qui periti non sunt,
 „ gratiam facimus, ut revertantur
 „ singuli ad propria templa. Ve-
 „ rum præter exercitia virtutum
 „ cultusque divina, quæ propria
 „ Religionis ipsorum sunt, haud per-
 „ mittimus, ut quisquam in hac
 „ aliisque provinciis, suscipiat Le-
 „ gem istam, sed etiamnum vige-
 „ re volumus superiorem prohibi-
 „ tionein.

CAPUT.

CAPUT QUARTUM.

Reditus Missionariorum ad suas Ecclesiias, & usque ad annum 1687. Evangelii propagatio. Novæ industriæ, ut adversa Divinæ Legi decreta revocarentur, adhibitæ,

Postremi illius decreti favore de exilio ad Ecclesiás suas Missionarii rediēre, una hac de causa maxime hilares, quod post tot ærumnas, longo persecutionis tempore toleratas, tandem liceret revisere in Christo regeneratam Ecclesiæ prolem, suos in Christi fide Magistros ac Patres millies repetitis votis anxie expectantem, sacramentorumque & Divini verbi pabulum compluribus annis magna famen præstolantem; ob id vero tristes, quod novis prohibitionibus Catholicæ Fidei libertas strictius, quam annis præteritis, coarctaretur, & sua in salutem animæ

animarum obsequia innumeris
cautionibus circumspectionibusque
indigerent. Nihilominus ita anxi-
osolabatus D. O. M. in qua unice
confidebant, summa immensaque
bonitas, jubebatque sperare, eum,
qui in salutem gentium venerat,
apertarum tandem optatam dudum
in hoc vastissimo Imperio viam, ad
Evangelicum vexillum feliciter ci-
cumferendum.

Interim Patres Ludovicus Buglio-
us, & Gabriel Magallanius, relicta
hac militanti Ecclesia, ad triumphan-
tem in Cœlis, ut pie credimus, de-
migrarunt, Ferdinando Verbiesto
etiamnum in arena certaminis per-
manente: ad quem, tamquam in
aula antiquorem, Divinæ Legis
dilatandæ adversantia obstacula
amovere, pertinebat. Et Iane Ma-
thematicæ Praefecturæ autoritas
ad id conferebat plurimum, nam ih-
lius epistolæ apud Protagor. et oq-
teros Provinciarum Mediariorum
non

non parum momenti habiebant; commendationesque sortiebantur desideratos effectus. Accedebat Ferdinandi singularis dexteritas, modusq; cum Sinis agendi, & circumspecta prudentia, quibus brevi adeo ener- vavit, quæ Religioni Catholicæ oblu- stabantur, ut non minori facilitate (quam tempore Joannis Adami) post toties repetitas prohibitions, Christi regnum protenderetur.

Perspectum Ferdinandus habebat prohibitions Imperatoris, Evangelicæ doctrinæ inculcandæ non multum obfuturas, si Pro regum & Mandarinorum animos sibi conciliaret. Quamobrem dum negotiorum cau- sa ad aulam ventitabant, eos huma- nissime alloquebatur, saepe conve- niebat, & delatis ex Europa mure- ribus, præsertim artefactis donabat. Ad absentes autem humanissimas missitabat Epistolas. Qua tam in- geniosa, multiplicique industria ef- fecit, ut legem Dei prohibentia de- creta in suo non persistarent vigore;

E quæ

quæ vero idem in gruerent persecutio-
nes, Pro regum favore repen-
te extinguerentur.

Parijimò & majori industria Imperatoris benevolentiam venabatur; eamque conservare & indies augere exquisitiis obsequiis laborabat. Negotia à Monarcha sibi commissa, præsertim in bonum commune redundantia, summa animi contentione exequebatur. Qualia erant, excellentiā opera, quæ in aula extant ad Māthesim spectantia: item belli- cæ Machinæ (instrumenta ad coercendos rebelles) exacta proportionē construetæ. Quod quidem opus videbatur nonnullis à nostro instituto aliquantum alienum, unice tamen ad conservandam Missionem tum temporis necessarium, & ad impetrāndam seu potius extorquendam Catholicæ Religionis libertatem, ut infra patebit, maxime opportunum. Verum ita publicis his negotiis implicabatur, ut privatis non degesset, nempe Imperatori quotidie

69

tidie horis quatuor & amplius Euclidem explicabat, & Philosophiam, quam ipsemet Ferdinandus Lingua & literis Sinicis composuerat. Ex hujus occasione frequenter refutabat falsas Sinarum superstitiones, veritatemque sanctae Fidei nostræ inculcabant ac demonstrabat.

Eodem anno, quo ex Cantoniensi exilio Missionarii ad suas revertentur Missiones, ad aulam accersitus est P. Philippus Grimaldus, qui inter omnes Mathematicarum disciplinarum peritissimus erat. Eum Imperator maximi semper fecit, & effuse dilexit. Hinc postquam anno 1686. ab eo legatus in Europam discessit, quoties statim temporibus Lusitanorum naves Macauum appelli solent, toties quidnam P. Grimaldo factum fuisset sollicite requirebat Princeps, ejusque epistolas (quæ in Tartaricam linguam, ut ipsemet eas legere posset, vertebantur) semper exposcebat. Superiore vero &

præsenti anno, quibus Grimaldi exspectabatur redditus, anticipatò Macauum (*) in maximi amoris indicium præmisit, qui reducēm ex Europa ad aulam reducerent.

Paulo post primum Grimaldi ad aulam appulsum Imperator P; Thomam Pererfam Macao Pekimum evocavit. Qui postmodum omnino rara felicitate varia artefacta confecit, digna quidem non Sinarum modo & Tartarorum, sed Europæorum etiam admiratione, atque à Monarcha summe æstimata. A quo etiam in Musices Magistrum electus, suavissimæ hujus artis Theoricam, ut facilius à Principe addiceretur, plenissime exposuit quatuor voluminibus, lingua ac literis Sinicis eleganter conscriptis, quæ tandem, ita jubente Monarcha, in Tartaricam linguam reddita sunt.

Præoccupata his & similibus Nostrorum obsequiis Imperatoris benevolentia, frequentibus ipse at singu-

(*) civitas est Lusitanorum, in quadam provincia Cantonensis peninsula Siata.

singularibus eos affliciebat favoribus, & cumulabat beneficis, quæ cum per Imperium vulgarentur, audiebant Catholicæ Fidei hostes Christi operariis esse molesti, iis præcipue, qui in disseminandâ Evangelica doctrina se caute prudenterque gerebant; si tamen aliqua subinde in Legem Divinam vel Christianos oriebatur tempestas, auctoritate Ferdinandi, & Prætorum amicorum ope ab illo implorata, contestim fedabatur.

Facile quidem hucusque Ferdinandus militanti in Sinis subveniebat Ecclesias, nunquam tamen securam pacem, nisi Dei Lex probatur, sibi polliceri audiebat. Imò verò procellam præcedentibus atrociorē, & cui facile succurri haud posset, prudenter metuebat. Propterea Christianæ Religionis libertatem rursus urgere vehementer exoptabat, nam obsequia Imperio & Imperatori præstata, ejusque singularis

gularis benevolentia felicem exitum
spondebant. Et vero per commo-
dam huic incepto occasionem ultro
suppeditavit liber quidam, qui in Pro-
vincia Chekiam vulgo dicta in lu-
cem editus, Christianam Religionem
falsitatis ac pravitatis arguebat.

Jani eo tempore (agebatur an-
nus 1687.) P. Grimaldus solverat
in Europam, relicta cum P. Ferdi-
nando in hac aula P. Pereriam, &
P. Antonio Thoma & quem utpote
Mathematicis disciplinis apprimo
eruditum, Grimaldus ipse (ab Im-
peratore magna utique authorita-
te ac pompa legatus) Pekimum
adduxerat. Cum his igitur duobus
sociis, praesens Christianæ Religio-
nis negotium maturæ perpendens
Ferdinandus, de ipsorum consilio
& omnium nomine (ut moris est
in similibus causis adeo gravibus)
de illata per summum dedecus Di-
vinæ Legi injuria Imperatori con-
questus est, tanta argumentorum

vi ac pondere, ut cum ad Christianæ Fidei libertatem concedendam omnino permoverit. Verum hoc ipsum oportebat toto Imperio publico Diplomate promulgari, quod ut fierent, libellum supplicem obtulit Ferdinandus Majestati Sinicæ, & quidem immediate ex speciali ab illa sibi concessa privilegio.

Nulla jam Aukitorum privatâ directione Imperator in gubernando utebatur, atque enim singularebus, quibus possebat, animi dotibus, tantam regiminis scientiam atque experientiam erat asseditus ut per se unus gubernaret omnes, ipsum vero regeret nemo. Valde tamen erat sollicitus de sui Nominis fama, in Imperii annalibus posteris relinquenda, atque æternum commendanda. Propterea Monachica supremaque uti in decernendo potestia verebatur; adeoque solerter & provide disponebat Tribunalia, ut quemadmodum ipse cuperet, nego-

tia concluderentur, Quia vero in
præsenti Christianæ Fidei causa,
quam exoptabat sententiam, à Tri-
bunali Rituum sperare non poterat,
(ut qui apprime novisset illius in
explebile in Legem Dei odium)
Tribunal operarum publicarum,
(in quò Ferdinandus Assessoris titu-
lo fulgebat, & propter belli Machi-
nas magni ab omnibus habeba-
tur) illi adiunxit, ut inter consul-
tandum forent, qui Ferdinandi ob-
sequia ac in bonum Imperii exant-
latos labores perpenderent, eique
præmii loco, quam Divinæ Legis
libertatem petebat, concedendam
cesserent. Minime tamen profuit
hæc Monarhæ industria, omnes
enim solis advenis liberum Christi-
anæ Religionis exercitium judica-
runt, indigenis vero prohibendum,
ne illam denuo susciperent, quem-
admodum decretum jam fuerat
anno Khamhii octavo.

Legis Divinæ rebus ita male ha-
benti-

bentibus mederi, ac favere cupiebat Imperator; ait suprema uti potentia (quæ unica apparebat via) propter politicas rationes non auctor debat. Itaque rursus sententiæ incolis Catholicam Fidem prohibenti, subscrispsit in gratiam Tribunalium, in gratiam verò nostrorum huic Decrēto addidit, ut si Dei Lex in Mandarinorum Catalogis falsas & seditiosas sectas recensentibus, ut talis annumerata esset, absque mora harum de numero tolleretur. Ita Christiana Religio ab impaecta, & deinceps forte impingendis calumniis vindicata fuit; suis tamen ut antea permanxit constricta terminis.

Finis primæ Partis.

PARS SECUNDA.

Facultas Legem Divinam libere prædicandi per universum Sinarum Imperium concessa anno Domini 1692.

E 5

CA.

CAPIIT PRIMUM.

Nonnullæ dispositiones Divi-
næ Legis libertatem præ-
cedentes.

PAULO post ultimum Imperato-
ris Decretum Venerabilis senex
P. Ferdinandus xerbiest, plenus
meritis è mortalium convictu-
summo omnium Christianorum
mærore migravit anno 1682. quin-
to kalendas Februarii. In ejus lo-
cum pro Tribunalis Mathematices
Præfide, Rituum Concilium, ad
quod id attinebat, è Sinis unum Im-
peratori proposuit. Nihilominus
Imperator eam præfecturam con-
ferre omnino voluit. P. Thomæ Pe-
reriæ, qui postquam maximas Mo-
narchæ gratias egisset honore hunq;
(quo se indignum dicebat) impen-
se deprecatus, Principem rogavit,
ut si quempiam è Nostris Mathese-
os Præsidem renuntiare decrevis-
set,

et id honoris P. Philippo Grimaldo, absenti licet, digniori tamen conferre dignaretur. Hanc Pereriaz modestiam admirans ac suscien-
tiens Imperator annuit tandem ut Matheſi Grimaldus præficeretur interim vero absensis vices Pereriaz injunxit. Ulteriori excusationi nullus jam locus superaret. Igitur in ea sibi præfectura collegam ac socium addat P. Antonium Thomam, rei mathematicæ peritissimum. Quo circa die 4. Lunæ 1. anni Kamhi 27. (qui erat Christi 1688.) proditum Imperatoris edictum, quo Thomam Pereriam & Anthenium Thomam, quondiu abesset Philippus Grimaldus, Tribunal Mathemati-
ces præficiebat.

Magnum hæc attulere Sinensi Ecclæsiæ solatum, cum adesse videret, qui secundū Deum & cœlites, adver-
sis in rebus sibi opeam conferre pos-
sent Expectationi tantæ, Christianæ
in Sinis Reipublicæ de suo officio con-
ceptæ

ceptæ, ut responderet Pereria Fer-
 dinandi sibi vestigiis insistendum
 censuit, nullumque non movit lapi-
 dem, ut Dei cultus & Religio
 Christiana eadem, qua antea, trans-
 quillitate ac facilitate propagare-
 tur. Quot quantisque poterat ob-
 sequiis, sibi devinciebat Imperii
 optimates, & Magistratus; iis &
 eoram per literas Fratres suos
 (hoc enim nomine sese Missionarii
 omnes compellare in Sinis solent)
 impente commendabat. Et vero
 non infructuose. Nam persecuti-
 ones non paucæ mox ipsis initiis
 extinctæ: plura tempora denuo ere-
 sta, illæsa alia conservata sunt in
 Provinciis Huquam, Quantum,
 Pecheli, Chekiam, & præcipue Xan-
 tam, ubi Proregis patrocinium
 Pereræ literis imperatum, nimis
 um quantum profuit illius provin-
 ciæ Missionariis, qui plurimis ve-
 xationibus affligebantur.

Hac eadem in provincia gravissi-
 mus

fatus quibem anno 1690. deservit
 turbo adversus Neophytes, & eor-
 rum Patrem Joannem Valat, à va-
 ferrimo quodam homuncione agi-
 tata defectionis accusatos, apud ci-
 vitatis Chepimhienæ Mandarinum,
 Christiano nomini adeo infestum, ut
 ad ejus comprehendam audaciam
 Imperatoria authoritate opus fuerit.
 Adeam igitur confudit Pereira, im-
 peratorem que rei totius certioreret
 faciens, ejus auxilium imploravit,
 Monarcha ne apud Tribunalia Di-
 vinæ Legis causa, repulsam con-
 suetam pateretur vel certe multo
 cum oppressorum detimento diu-
 tius protraheretur, illico private
 ad provinciæ Prætorem mandato
 missio tempestatem sedavit, atque
 in Catholicæ Fidei æstimationem
 ingensque emolumentum conver-
 tit.

paulo antequam hæc agerentur,
 vivente etiam tum Ferdinando, Si-
 nas attigerat P. Joannes Fontaney
 cum

eum quatuor sociis. Eos Provinciæ Chekimicæ Prætor, & alii Mandarini (in quorum manus incidenterant) Religiones Catholicæ infensissimi hostes, juxta Imperii Leges ab ingressu Sinarium arcere conabantur, missò ad Tribunal Rituum libello, ut ii quinque Evangelii Præcones Imperatoria authoritate Siamum & unde venerant, remeare cogerentur. At Imperator, à Ferdinando de tota re edoctus, honorifice diplomate Joannem & Socios aceersi jussit in Regiam, amplaque omnibus in Sinensi Imperio commorandi facultatem indulxit & atque ex Perieria consilio (nam Ferdinandus per id tempus è vivis excessit) Pekimi subsistere jussit P. Joannem Franciscum Gerbillonum, & P. Joachimum Bouvet; P. Fontanejo cum aliis duabus ad missiones excolendas transmisso.

Post hæc eodem anno 1688. deputavit Imperator Legatos duos, ad tractanda

tractanda pacis foedera cum Moscis
 in confinibus orientalis Tartariæ;
 Illorum alter erat avunculus, & si-
 mul fœcér ejus, alter vero Sosanus
 Princeps, de quo supra in prima par-
 te jam sàpè meminimus. Eisdem
 Pereriam, quem sàmpér magni fe-
 cerat, comitem adjunxit, mandato
 ad Tribunal négotiorum exterorum
 in eam rem misso Khamii anno
 27. 3. Lunæ die decima 15. cuius se-
 quens erat tenor. Perspectum ha-
 beo Europæos homines, quorum
 opera ut or, fide dignos & mihi esse
 per quam fideles: quibus niti possim
 Idcirco ad Moscos mitto Thomam
 Pereriam. Expedit autem, ut
 pacis conditiones Moscis propo-
 nendas cum eo conferatis.

Privatim vero Pereriae significari
 iussit Monarcha, facturū sibi pergra-
 tum, ex Pekimensibus Patribus si unū
 in hac expéditione sociū eligeret. Et
 Pereria Gerbillonium nuper appul-
 sum scelgit, tametsi linguae Sinensis,

ac Tartaricæ adhuc rudem, ad toleranda tamen asperimæ, inviæ , ac desertæ Tartariæ incommoda aptissimum, atque promptissimum. Ad hæc Imperator, ut Pereria in ea expeditione ab omnibus (id est, ab octo vel novem millibus hominum) pluris æstimaretur, creavit illum ordinis tertii Mandarinum, pretiosumque illi ex pellibus vestitum, quo ipse utebatur, Socio vero, alium noviter factum dono dedit cum aliis honorificis donis. Præcepit itidem ut Legatus Princeps Sacer suus Pereriam & Gerbillonium mensæ propriae semper adhiberet.

Postquam ad locum, ubi de pace agendum erat per ventum est, & in variis congressibus, ob Sinarum cum Europæis imperitum tractandi modum, & varias eorundem suspiciones ac diffidentias, nihil omnino concludebatur, credi vix possit, quantum à Pereria fuit desudatum, ut suspicacissimos Sinensium Legato-

gatorum animos , ad pacem debito
 modo tractandam componeret , dif-
 fidentias tolleret , ac difficultates
 hinc inde subortas complanaret .
 P. Gerbillonii etiam Socii fui ope-
 râ , labore , ac industriâ usus in iis ,
 quæ cum Moscis Linguae Latinæ
 haud ignaris tractabantur . Adeo
 durum illud negotium fuit , ut nisi
 Persia cum socio adfuisset , infe-
 sta pace Legati ad Principes suos
 redituri fuissent . Hoc ipsum Sinen-
 sium Legati testati sunt , quando pa-
 ce confecta duos extraordinarios
 cursores ad Imperatorem præmi-
 ferunt cum hujusmodi mandato
 „ Dicite Imperatori , quod felicitati
 „ Majestatis ejus adscribendus sit
 „ felix istius Legationis exitus , &
 „ quod Imperator ipse in dignoscen-
 „ dis hominibus prodigiosas habe-
 „ at mentis oculos , eo quod elige-
 „ ret Thomam Pereriam cum So-
 „ cio . Cum enim saepius ad despe-
 „ ratos terminos deduceretur pacis

F.

„ nego-

„negocium , illud ipse suâ & sociâ
„industriâ ad bonum statum redu-
„cebat, adeoque illorum totum est:
„certè enim si nobis adjuncti non
„fuissent , nihil prorsus conclusisse-
„mus. Hæc ita dicite citra errorem,
„citra oblivionem.

Dici facile non potest, quanto so-
latio animique voluptate accepereit
magnus Tartaro Sinicus Impera-
tor ista felicia pacis nuntia , sibi &
toti Imperio desideratissima ; quantis
honoribus , favoribus , ac beneficiis
non tantum Pereriam & Sôcium ,
sed reliquos Nostros in aula com-
morantes affecerit : Frequentior &
major inde quam antea illi familia-
ritas , & privata cum ipsis colloquia.
Inter quæ in ejus præsentia singuli
suas , ab ipsomet sibi impositas exer-
cebant occupationes . Pereria qui-
dem præter Musicam , variis incum-
bebat artefactis ; Gerbillonius autem
& Bouvetus , Antonio dirigente ,
Euclidem , & Philosophiam in Tar-
taricam

garicam vertebant linguam (cui tunc
jubente Monarcha addiscendæ da-
bant operam) & ex versione Impe-
ratori explicabant. Antonius vero
eidem Algebram interpretabatur.
Affectu singulari nos omnes Impe-
rator complectabatur, & inaudita
familiaritate super tapetia Imperia-
lis subselli (quod nulli Procerum
ac Principum unquam concessum)
jubebat sibi assidere. Mittebantur
autem equi ex ipso Imperatorio e-
quili, quibus nostri veherentur in
aulam. Innumeros alios favores
taceo.

Verum parum videbatur Impe-
ratori, nobis in aula degentibus
se benevolum exhibere, si tam in-
gens beneficentia ad cœteros in Mis-
sionibus laborantes non pertinge-
ret. Idcirco provincias ad meridi-
onalem plagam jacentes invisurus,
quæsivit à Pereria, quinam essent,
& quibus in locis, qua sibi iter faci-
endum erat, morarentur Socii no-

stri. Quoties autem civitatem aliquam , ubi Missionarii residerent , pertransibat ad illorum domicilium submittebat duos aulæ ministros , ut illos ad Majestatem suam deducerent. Præsentibus vero Missionariis summa benevolentiae indicia , & summos clementiæ suæ præstabant favores : idque non tantum coram aulæ suæ proceribus , sed etiam & vel maximè coram illius Provinciæ , in qua tunc erat , Prorege , & primariis Mandarinis ; ut ne illi perspecta hacce Monarchæ erga Missionarios benevolentiam , contra ipsos aliquando insurgere auderent. Quos tandem ab Imperatore honorifice benignèque dimissos , unus ex aulæ ministris admonebat , ut de omnibus sigillatim Pereriam edocerentur per litteras.

Hæc autem paulo fusijs in hoc capite relata , quædam fuerunt velluti præludio ac dispositiones , non sine Numinis consilio ac provideentia

83

Tis parata ad Catholicae Fidei impe-
trandam libertatem; cui occasionem
peperit saeva quedam persecutio, de
qua in capite sequenti.

CAPUT SECUNDUM.

Horribilis persecutio in Provin- cia Chekimensi, exorta anno 1691.

Edictum in publicis valuis Man-
darinorum non nemo affixerat; quo Dei Legem falsam esse ac perver-
sam asseverat. Quod cum directe
vergeret contra ultimum Decretum,
Ferdinandi opera ab Imperatore im-
petratum; P. Prosper Intorcetta, præ-
cipuus provinciae Chekiamensis o-
perarius, inopinatae huic tempestati
pro munere suo sese opposuit; gra-
vissime conquerens de impacta San-
ctissimae Dei Legi calumnia, & vio-
lato Imperatoris Decreto, prohiben-
te, ut ne Lex Dei inter falsas ac pra-

F, 3 vas

vas numeraretur. Mandarinus commissum per furorem ac vesaniam errorem reputans, sibiique non parum metuens; ad Proregis primiorum Magistratum, & Sinensium Literatorum opem ac praesidium confugit. Novi illi scribæ & Pharisei lubenti animo in Christum ejusque sanctissimam Legem conjurantes, ut novum Barabam praesenti periculo eximerent, concilium inierunt: in quo id maligne statutum est, ut edictum Imperatoris decreto adversans, subito de publicis valvis detraheretur; & in illius locum aliud, stans pro decretis Imperatoriis, sed Catholicam Religionem prohibens, affigeretur. Fuit autem tale.

„Ego Cham hujus Provinciae Pro-
„rex, & in Tribunali Inquisitionis
„generalis in Curia Mandarinus,
„hoc edictum promulgo, ad severe
„prohibendum Europæis, ne Kalen-
„darium festorum distribuant; po-
„pulos perturbent & incitent ad
„susci-

adscipendam Legem suam, infringendo Imperatoris Decreta. Dum
 autem Majestatis ejus mandata
 cum debita veneratione exequi
 studeo, quæ in id tendunt, ut
 homines perficiantur, invenio ad
 se ipsum perficiendum, & obti-
 nendam rectam Imperii admini-
 strationem, nihil omnino esse ac-
 commodatius ea lege ac doctri-
 na quam ab omni ævo Literati
 Sinenses sequuntur. Ea lex fa-
 milias componit, conservat debi-
 tam venerationem erga parentes,
 propinquos & maiores: ea juvat
 ad regendum perfecte Imperium,
 ad conservandam populorum erga
 Imperatores obedientiam ac fi-
 liam, & vicissim Imperatoris amo-
 rem erga subditos suos: Tota il-
 lata doctrina tradita est à magnis
 Magistris Cheveumo & Confutio,
 ejusque præcipua ratio est in ser-
 vandis justitiae legibus ac pie-
 tatis, & ad supremum perfecti-

„ onis fastigium attingit , sicut sol
 „ & luna in cœlo , & flumina in ter-
 „ ris , ita ab omni ævo constante
 „ cursu progreditur . Dæz vero
 „ aliae sectæ , quæ sunt Bonziorum,
 „ ~~mag~~ Litteratorum Lege sunt veluti
 „ duæ faculæ & parvi ignes , & ve-
 „ luti duæ aliquæ fossulæ , quæ con-
 „ tinere non valent aquas . Quales
 „ igitur erunt , & quam ignobiles ,
 „ quæ huc nobis recenter ab exte-
 „ ris advehuntur ?

„ Magna admodum est Impera-
 „ toris Nostri sapientia , qui maxi-
 „ mi æstimat Sinenfium Litterato-
 „ rum doctrinam , & cuius volun-
 „ tas est , ut libri nostri claffici in
 „ toto Imperio studiose evolvantur:
 „ ideoque ad Magistratus temper-
 „ eos evehit , quos maxime com-
 „ mendat Sinensis acquifita doctri-
 „ na . Par est autem , ut qui modo
 „ in hoc existunt Imperio hujus fan-
 „ ti Imperatoris nostri doctrinæ
 „ se conforment : Literati , qui libris
 „ claf-

„ classicis evolvendis incumbunt;
 „ mercatores , opifices , qui juxta
 „ statum suum occupantur , dum
 „ aliquid præterea otii habent , ea
 „ revolvere debent Imperatoris sex-
 „ decim præcepta , ad componen-
 „ dos subditorum mores divulgata;
 „ quæ si clara percipientur , pluri-
 „ mum valent ad acquirendam vir-
 „ tutem : ignaros erudiunt ad per-
 „ fectionem , in qua radix est obser-
 „ tationis Legis Divinæ.

„ Verum proh dolor ! Populum
 „ hujus provinciæ Chekiamensis ,
 „ quam guberno , modo à prædi-
 „ ctiis longe aliena operatur . Con-
 „ gregantur enim hominum cœtus ,
 „ & ad amplectendam Dei Cœli se-
 „ etiam inducuntur . Hujus Prædi-
 „ catores à locis transmarinis , Tai-
 „ minga familia regnante , ad hoc
 „ Imperium venerunt . Postquam
 „ autem Tartari obtinuerunt Impe-
 „ rium , prodiit contra eos hoc Im-
 „ peratoris Decretum : *Permitimus*

22

„Ferdinando Verbiago & sociis
„tantum privatim, & inter se Chri-
„stiana Religionis exercitia opera-
„ri: quia vero timemus, ne in Pro-
„vinciis erigantur nova Ecclesia, &
„aliqui subditi nostri eam Legem
„suscipiant, id severe prohibemus.
„Hoc decretum datum fuit anno Im-
„peratoris Khamii octavo. Postea
„de eodem argumento Tribunal Ri-
„tuum libellum obtulit, ad quod
„tale fuit Imperatoris rescriptum:
„Si inter illos sint Mathematicae pe-
„riti, adducantur ad aulam, & si
„multum Ferdinandu commorentur,
„Qui autem eam scientiam non cal-
„lent, ad proprias revertantur Ec-
„clesias. Verum prater exercitia
„virtutum cultusque Divini pro-
„pria Religionis ipsorum haud per-
„mittimus, ut quisquam in hac, ali-
„isve Provinciis suscipiat Religio-
„nem istam: Sed etiamnum erigere
„volumus superiorum prohibitivem:
„Quod quidem Decretum prohibens
„Legem

91

„ Legem Christianam adhuc extat,
„ & asservatur in Rituam Tribun-
„ nali.

„ At vero Prosper Intorcetta,
„ ne scio quo tempore è propria Ec-
„ clesia , quæ erat in Provincia Ki-
„ amsiensi , * authoritate propria,
„ in hanc Provinciam habitatus
„ venit , Librum de septem virtu-
„ tibus & alios de Religione Chri-
„ stiana tractantes typis mandavit ,
„ Dei sui imagines depingi curavit ;
„ populum ad eas certis diebus festis
„ adorandas inducit , certa item je-
„ junia præscrbit , distribuit Kalen-
„ darium festorum , ac denique po-
„ pulorum corda seducit ; ita ut in
„ hac Metropoli Hainchei , * plus
„ quam mille hominum plebejorum
„ ac rudium familiæ , violantes Im-
„ peratoria Decreta , Legem Christi-
„ anam susceperint . Eam ob cau-
„ sam necessarium nobis visum est

„ præ-

* Vulgo Kian Si.

* Vulgo Ham Chen.

„ præsens edictum promulgare , ut
 „ omnes , qui sub mea degunt po-
 „ testate , ad sanctorum tramitem im-
 „ pellam ; eos vero , qui sequuntur
 „ Christianam Legem , præmone-
 „ am , ipsos longe à recto aberrare ;
 „ & infringere Imperatoris De-
 „ creta ; qui autem ea deinceps non
 „ fuerint secuti . severe punien-
 „ dos .

„ Sanè moveor commiseratione
 „ erga populum rudem , quod ita
 „ seductus fuerit ad sequendam pro-
 „ hibitam Legem . Idcirco spe fu-
 „ turæ emendationis condono præ-
 „ terita , ut deinceps serventur De-
 „ creta Regia . Quod si postmo-
 „ dum aliqui sint , qui excæcari Le-
 „ gem illam rursus suscep tam non
 „ deserant , aut officii sui immemo-
 „ res denuo amplectantur ; præci-
 „ pio omnibus mihi subditis , Præfe-
 „ ctis . ut severe in eos continua in-
 „ quirant , meque statim admone-
 „ ant . Accusabo interim apud Im-
 „ pera-

„peratorem Prosperum Intorcer-
 „tam, mandatorum Regiorum vio-
 „latorem, quod plebem seduxerit ad
 „ad amplectendam vetitam Legem,
 „ut secundum criminis sui gravita-
 „tem plectatur. Quicunque au-
 „tem habitant vicini violatoribus
 „hujus edicti, nisi eos detulerint,
 „eadem cum illis poenâ plectentur,
 „nec cuiquam hoc scelus condona-
 „bitur. Datum Khamhii Impera-
 „toris anno 30. Lunæ 7. intercalaris
 „die 16.

Hoc Prætoris edictum ita callide
 concinnatum illico in Metropoli
 Hamchei, & per totam Chekiamen-
 sem Provinciam promulgatum fuit.
 Tum vero Prorex ipse & inferio-
 res Præfecti in Christi Ecclesiam
 desævire, Christianos vexare, eos
 vinculis, verberibus, & bonorum
 exspoliatione ad veræ Fidei abnega-
 tionem adigere. Evangelii Præco-
 nes sape ad examen vocare, eis-
 dem minitari exilium, Ecclesiastis
 clau-

clausas & publico sigillo munitas
idolorum cultui destinare, atque fi-
ſco addicere : Sacras imagines &
Catholicos libros flammis damnare,
ita ut facies quædam inchoatae olim
apud Japones Taicosamicæ perfe-
cutionis videretur. Adhæc non
vane timebatur , ne cæterarum
Provincialium Moderatores, ad e-
xemplum Chekiamensis Prore-
gis in Christianæ Religionis culto-
res atque ministros , ipsi etiam in-
surgerent , fieretque (ut quondam
in Japonia) universalis persecutio.
Quo circa per Sinarum Imperium
dispersa Christi Ecclesia ad Divi-
nam Clementiam confugit , ab illa
sacrificiis , orationibus , jejuniis , &
lacrymi præsentaneum remedium
exposcens.

CAPUT TERTIUM.

Conatus adhibiti, ad extinguen-
diam Provinciæ Chekiamicæ per-
secutionem, & veræ Fidei Li-
bertatem obtinendam.

Mox

99

Mox sub initium & in progreſſu jam relatæ persecutionis Prosper Intorcetta de omnibus, quæ agebantur, Thomam Pereriam diligenter edocebat, ut tanto malo quanto cœus subveniret. Hoc ipſo autem tempore Imperator extra muros Sinensis Imperii ferarum venerationi indulgebat, adeoque necesse fuit illius redditum expectare, ut non praesenti modo persecutioni remedium quæreretur, sed futuris etiam occasio ac radix præcideretur, revocatione scilicet Imperialium Decretorum, propagationem Catholicae Fidei interdicentium ; quibus Chekiamensis Prætor ad infectandos impune Christi fideles astutissime usus erat. Imperatorem intervenando comitabatur Joannes Franciscus Gerbillonius, qui de lacrymabili Ecclesiæ Chekiamensis strage certior factus & miseratione commotus, peramentem nostræ societatis Principem Sosanum exorabat,

ut

ut ad Chekiamensem Proregem scriberet comprimeretque ejus furorem. Erat forte Prorex iste unus ex ejus clientibus, eique pluribus non minibus obstrictus: ideoque amicus Princeps Gerbillonium bono animo esse jubens, totam illam tempestatem literis suis sedaturum promisit; haud sane dubitans, quin Prorex in sui obsequium ab iniquo opere continuo abstineret.

Reduce Pekimum ex venatione Imperatore diè 3. Novembris anni 1691. nihil remedii Chekiamicæ persecutioni adhibebatur amplius: expectandum enim erat Proregis responsum ad literas à Sosano ad illum datas, ne Principi Nobis semper amicissimi, aliquæ justæ offensionis occasio præberetur. Cum vero multum præterfluxisset temporis, & Prorex ad repetitam Principis epistolam nihil omnino rescriberet, Præteria à Sosano veniam pettiit, ut liceret sibi afflictissimæ Chekiamensis Ecclesiæ causam ad Monar-

narcham deferre. Lubens annuit Sosanus, qui se quoque à Prorege spretum fuisse ægreferebat: monuit tamen Pereriam, ut ne Imperatori notum faceret quod ipse super hoc negotio ad Proregem dedisset literas commendatitias. Nam Imperator in hoc delicatissimus est, ut nullus Aulæ Procerum aliorum causis patrocinetur, ne hac via aliquod detrimentum justitia patiatitur.

Ubi Pereria à Sosano facultatem impetravit, reliquis nostris Pekinensibus consociatus, vultu tristi, & internum animi dolorem abunde prodente, aulam adiit Regiam die 21. Decembris, Divo Thomæ Indianum Apostolo sacra. Introgressus omnium nomine ab Imperatore petiit, ut ad Regios pedes procidendi potestas fieret sibi imploraturis patrocinium adversus Chekiamenis Provinciæ Prætorem, sævissimum Christianæ Religionis insectatorem. Unus ex aulæ ministris, de Sinensi Ecclesia optime meritus Chao Lao

Ye

Y(hoc est Dominus Chas) appellat
latus, pro sua multorum annorum
consuetudine, qua negotia nostra
tractabat ut sua, vel quasi unus esset
ex nostris, hanc Nostrorum postu-
lationem Imperatori accurate pro-
posuit. Imperator vero cum sciret
Cham fidelissimum Nobis atque
amicissimum esse, proptereaque
libentius coram illo nostros quam
coram se locuturos, voluit ut ipse
totam rei seriem sibi referendam
exciperet.

Eidem igitur aulæ Magnati exhibuit Pereria exemplum edictorum
Prorégis, & actorum ab inferiori-
bus Præfectis, quod attulerat; &
Nostrorum omnium nomine in
,, hunc sensum locutus est. Ex iis,
,, quæ offero, scriptis liquido constat
,, Prætorem Chekiamensem nullam
,, aliam ob causam, quam ob vete-
,, rem prohibitionem Christianæ Le-
,, gis in eandem sævissime debac-
,, chari. Tantum vero concepit
,, furoris, ut Prosperum Intorçettam
,, (quem

„(quem Imperatoria Majestas, dum
 „Australes Provincias inviceret,
 „summis honoribus atque benefi-
 „ciis cumulavit) summa cum igno-
 „minia conetur exterminare ex il-
 „lamet Provinciam, in qua tantos à
 „Monarcha honores atque favores
 „acceperat. Præterea eodem odii
 „ac furoris actus stimulo, sacra Dei
 „templa fisco addicit, Christi fide-
 „les in vinculis detinet, atque ad
 „ejurandam fidem constringit:
 „imagines sanctas, & Catholico-
 „rum librorum tabulas comburit.
 „Cum vero nemini non innotue-
 „rit, nos ad Sinarum Imperium,
 „ob solam Diuinae Legis promul-
 „gationem venisse, quid aliud in-
 „tendit Prætor iste, dum sanctam
 „Christi Legem persequitur, quam
 „ut pariter & nos persequatur?
 „Clare ostendens, quod quemad-
 „modum ex Provincia, quam gu-
 „bernat, Intorcettam, ita nos omnes
 „e toto Imperio vellet expulsos.
 „Quantum vero id ab Imperatoris

„ voluntate alienum fit satis inde
 „ liquet, quod Imperatoria Majestas,
 „ singulari admodum benevolentia,
 „ amore, honoribus , atque benefi-
 „ ciis , non solum nos , qui in ejus
 „ obsequiis detinemur in aula, sed
 „ etiam reliquos socios nostros, qui
 „ animarum saluti procurandæ uni-
 „ ce incumbunt, complectatur, quos
 „ omnes Prorex in exilium ablegare
 „ peroptat (hic Pereria cum sociis
 „ in genua provolutus ita prosequi-
 „ tur) Suppliciter igitur deprecamur,
 „ ut Imperatoria Majestas , cuius
 „ amorem & protectionem , plus
 „ quam patris ac matris experti su-
 „ mus , innumeris ac maximis no-
 „ bis collaris beneficiis hoc ampli-
 „ us addere dignetur , ut abrogata
 „ veteri prohibitione Legis Divinæ.
 „ eam non modo à præsenti sed
 „ etiam à futuris eximat persecutio-
 „ nibus , cumuletque gaudium no-
 „ strum uno hoc beneficio, quod no-
 „ bis vita ipsa erit antiquius.

Non

Non minori verborum vi, & ani-
mi affectu hæc omnia Aulicus Chaus
exacte retulit Imperatori , qui illico
voluit legere scripta à Pereria obla-
ta, ut de causa rite cognosceret. Ea
perspecta, per eundem aulæ Magna-
tem quæsivit ex nostris , vellet ne ,
ut præsentem persecutionem(quem-
admodum aliam in Provincia Xan-
tumica ab annis hinc duobus) pri-
vato mandato , quod in promptu
erat , extingueret? an vero via pu-
blica Tribunalium cum adversariis
Sinensibus (quos ipsi etiam Tartari
metuerent) congregandi auderet? No-
strorum aliqui judicabant via pri-
vata, utpote tutiori , atque breviori
consulendum Chekiamensis Eccle-
siæ necessitati. Alii vero censebant,
via publica causam judicari opor-
tere : quamdiu enim Christianæ
Legis prohibitio non abrogaretur,
quotidie alias atque alias sibi soli-
citudines fore!, quibus crebro Mo-
narchæ importuni esse cogerentur.
Prævaluit hæc sententia apud Pere-

riam (præterat jam tunc non Péki-
mensibus tantum, sed omnibus apud
Sinas degentibus sociis) & juxta ip-
lam responsum retulit omnium no-
mine Imperatori, a quo benigne ex-
ceptum & approbatum fuit. Tunc
vero Pereria subjunxit, se & socios
suos probe scire, quæ futura esset
Tribunalis Rituum sententia: Ve-
rum in Suæ Majestatis protectione
spes suas unice collocare. Quæ ver-
ba Imperator subridendo excepit.

Tamen si singularis Monarchæ
erga nostros benevolentia felicem
causæ exitum sponderet; omnem
tamen solicitudinem adhibebat Pe-
peria, ut ne in libello supplici (cui
accurate concionando, accersita
Literatorum Sipenfium ope, sta-
tim incubuit) occasio daretur Ritu-
um Còncilio, ea rursum proferen-
di decreta Regia, quæ contra Le-
gem Christianam olim prodierant.
Id enim si ageret, absque dubio eis-
dem Decretis institurum, veterem
que prohibitionem nova sententia
reno-

renovatum. Alius similiter libel-
lus, jussu Patroni Nostri Chai, in
aula fuit exaratus à Literatorum
peritissimis. Degebatur tum tempo-
ris Imperator in villa suburbana, ad
quam Nostri die 28. Decembris una
omnes se contulerunt, de ejus vale-
tudine., atque Principis Hæredis,
qui pridie ex equo lapsus fuerat,
percontaturi. Eo autem officio per-
soluto Pereria utrumque libellum
privatum obtulit Imperatori, ut de-
cerneret quisnam illorum ad rem
presentem magis conduceret, post-
modum publice offerendus. Libel-
lum utrumque illico Imperator per-
legit, & apud se veluti emandatu-
rus servavit; re tamen postea meli-
us considerata, neutrum ad Divi-
næ Legis libertatem obtainendam
appositum judicavit. Igitur die 1.
Januarii ineuntis anni 1692 ad Col-
legium nostrum misit Ministrum sibi
charissimum, nobis benignissimum
Patronum Chaum, cum alio suppli-
ci libello, lingua Tartarica, & ex-
cellenti

cellesti stylo exarato ; quem ipse
met Chaus coram omnibus nostris
legit.

Nostrī vero Imperatorī gratias
acturi, in genua prostrati, novum,
insolitum, atque inexpectatum com-
mendabant ac agnoscēbant benefi-
cium. Tum Pereria omniū nō-
mine in hæc per Chaus Monarchæ
referenda verba prorupit :

„ Jam ingens est Imperatoriaë Ma-
„ jætatis erga nos benevolentia, ut
„ omnes spes nostras atque cogita-
„ tiones exsuperet : neque enim nos
„ ipsi poteramus excogitare, multe
„ minus sperare simile quid tanto be-
„ neficio ; quod pluris ducimus,
„ quam si nos jam mortuos revocas-
„ set ad vitam. Progressus enim Ca-
„ tholicæ Religionis nostræ (uti Im-
„ peratori perspicuum est) omni e-
„ mnino felicitati præponimus. Quia
verò nondum absolutus erat iste li-
bellus, eum Chaus ad Palatium re-
tulit perficiendum, ut deinceps Mo-
narchæ publice offerretur.

Huc

Huc usque omnia cedebant ad votum , imo longe superabant omnem expectationem. Ne tamen immensa hæc gaudia tristissimus occuparet luctus, P. Thomas Pereris sociis non tantum in aula commorantibus, sed etiam per Provincias sparsis , & per eos coeteris Christi Fidelibus enixe commendabat , ut precationi & reliquis exercitiis nunc maxime vacantes , ad propitiandum Deum sese totos converterent ; ejusque Divinam Clementiam obsecrarent , ut bene propensum Imperatoris animum confirmaret , comprimeretque occursantes humani generis hostis impetus , quibus ingenti conatu negotium disturbare nitebatur. Et vero non parum id nostros sollicitos tenuit , quod ab illa die i. Januarii fere ad finem ejusdem mensis , nullam de jam dicto supplici libello Imperator mentionem fecerit , neminemque ex Nostris toto eo tempore ad praesentiam suam ,uti solebat , vocari jus,

Perit. Cumque nulla se aperiret via urgendi negotii, diu noctuque antiqui hærebant Nostri, Dominum cuncte orantes, ut quod cœperat opus bonum ipse perficeret. Adfuit autem propitius Deus: nam Imperator tandem ad se Pereriam acciri jussit; ac remotis arbitris omnibus (quod nunquam alias factum) proximum cum eo habuit colloquium; & licet strictissimum illi injunxerit silentium, tamen hoc ipsum sufficiens erat indicium, ut reliqui socii solicitudinem, anxietatemque despenserent.

Absolverat Pereria pulcherissimum artefactum, quod Imperator antea illi perficiendum tradiderat, & statim post colloquium Monarchæ transmisit per Aulicum Chaum. Arsisit Monarchæ operis artificium, & ex latore, quid Thomas Pereria dixisset, quæsivit: Lator nobis semper benefacere cupiens, reposuit, dixisse Pereriam, maximo sibi futuruni solatio, si hoc exile artis opus

pas suæ Majestati gratum accideret,
 & qua expectaret gratiam longe
 maximam, nempe Divinæ Legis
 Libertatem. Subrisit adhæc Impe-
 rator : & paulo post per eundem
 aulæ Magnatæ , supplicem libel-
 lum submisit propediem publice of-
 ferendum. Ut vero hoc benefici-
 um undequaque esset absolutum,
 singulare simul concessit privilegi-
 um, ut scilicet Libellus ille sibi
 absque alterius interventu per Tho-
 mam Pereriam , & Antonium Tho-
 mam Tribunalis Mathematicæ Præ-
 fides porrigeretur. Illi enim, qui Tri-
 bunali cuiquam præsunt , ex com-
 muni jure, non nisi de rebus ad ip-
 sum Tribunal pertinentibus, suppli-
 cem Libellum in publico Tribunad-
 lum concursu Imperatori publice,
 & coram de more tradere possunt.
 Cum autem Mandarini supremo
 rum etiam Tribunalum , aliquod
 fibi peculiare negotium habent ,
 quod ad suum Tribunal non spe-
 get , non per se ipsi Libellum sup-
 plicem

plicem offerunt , sed per supplica-
tionum Concilium, de quo egimus
parte prima. Hac autem via trahen-
dæ erant longiores moræ , quam
negotium nostrum pateretur.

Appetebat Beatae Virginis Purifi-
catæ sacra dies , quam elegerunt
Nostræ , ut sub auspiciis ejusdem
Deiparæ , ac dilectissimi illius sponsi
D. Josephi , totius Sinensis Missio-
nis Primarii Patroni , supplicem
suum libellum Imperatori offer-
rent. Implorata igitur Dei ac
Cœlitum ope eadem die primo ma-
ne Pereria & Antonius Astrono-
miae Præfides ad solitum locum con-
venerunt. Cum autem ascendissent
omnia Tribanalia ad Imperatorem
pro Majestate sedentem , ut eorum
Libellos exciperet , ascenderunt &
Nostræ ambo ; præmissisque cere-
moniis aulico ritu in præsenti fieri
solitis, obtulit Pereria , quem pro li-
bertate Christianæ Religionis libel-
lum supplicem afferebat. Illum
post biduum Imperator de more
misit

misi ad Rituum Tribunal , ad quod
causa pertinebat , ut super ea suam
diceret sententiam.

CAPUT QUARTUM.

**Libellus supplici pro libertate
Christianæ Religionis , Imperatori
in publica Tribunalium corona
oblatus , & sententia super eo
à Rituum Tribunal
proplata.**

**Supplicis libelli sensus ta-
lis fuit.**

„ **N**os subditi Tui Thomas Pere-
ria , & Antonius Thomas ,
„ Tribunalis Mathematici Præsides ,
„ reverenter Imperatoriæ Majestatis
„ Tuæ perspicacitatem suspicimus ,
„ & supplices proponimus rerum
„ nostrarum principium ac finem
„ ut clare Majestatis Tuæ oculis
„ subjiciantur .

„ Labentis anni Luna nova sub-
„ ditus Tuus Prosper Intorcetta , in
„ Ecclesia Metropolis Hamcheu re-
„ fidens ,

„ fidens , hominem huc ad nos mis-
 „ sit , qui nuntiaret ; Prætorem illi-
 „ us Provinciae subjectis sibi Præfe-
 „ ctis commississe , ut Ecclesiæ di-
 „ ruerent ac librorum tabulas ef-
 „ fringerent : & insuper decrevissent
 „ ipsummet Prosperum , tamquam
 „ pravæ doctrinæ seminatorem ē
 „ Provincia illa expellere . Cum
 „ nos clientes Tui a longe dissitis
 „ terris , aliquot dena Stadiorum
 „ millia emensi , huc appulerimus ,
 „ si labores & afflictiones nostras
 „ non aperiamus Majestati Tuæ , cu-
 „ jus paterno fovemur affectu , quo-
 „ modo eas tolerare , & molestias ,
 „ quæ deinceps plurimæ nos mane-
 „ bunt , vitare poterimus ? Clare e-
 „ nimvero intuemur , quod Majestas
 „ Tua omnium totius orbis Regno-
 „ rum homines sibi subditos regat ,
 „ sine ullo indigenæ vel advenæ dis-
 „ crimine , nec patiatur vel unum
 „ ē sibi subditis tam acerbo torque-
 „ ri dolore , ut præ afflictione inte-
 „ reat ; antiquis magni nominis Im-
 „ pera-

„ Imperatoribus in eo major, quod etiam
 „ eos, qui falsam profitentur Reli-
 „ gionem in suo Imperio vivere per-
 „ mittat, & ab injuriis tueatur. Lon-
 „ ge autem, potiori jure, quando
 „ Majestas Tua Australes Provin-
 „ cias invisit, quoties obvios habuit
 „ Europaeos socios nostros, summa
 „ cum benevolentia eos excepit,
 „ permisitque (uti manifestum o-
 „ mnibus fuit.) ut illis in locis, in
 „ quibus degebant, tranquille mo-
 „ rarentur.

„ Quo igitur tam duro ac saevo
 „ corde audet nunc Chekiamensis
 „ Praetor in nos, tamquam petver-
 „ sae doctrinæ authores insurgere?

„ Ut autem priora posterioribus
 „ conformia repetamus, olim sub-
 „ ditus Tutis Joannes Adamus
 „ Schall, cum ab Imperatore Xun-
 „ chio Parente Tuo Summæ bene-
 „ volentiæ, singulare prorsus ac-
 „ cepisset beneficium, nervos o-
 „ mnes intendit in examinandis
 „ atque corrigendis veteris Astro-
 „ nomiæ

„nomiae (qua uti haud poterat) er-
 „roribus; eamque tam accurate re-
 „formavit, ut cœlo perfecte con-
 „grueret, & ipse acceptis ab Impe-
 „ratore beneficiis non ingratum
 „sese exhiberet. Nec ejus in men-
 „tem venire poterat sibi culpæ
 „vertendum debitum, quod præ-
 „stabat, obsequium. Id ipsum ta-
 „men postmodum expertus, quan-
 „do Yamquamfienus & ejus con-
 „federati, merita in delicta, recta
 „in falsa ac errata detorserunt. At
 „Majestas Tua hæc omnia postea
 „clare perspiciens, jussit Principi-
 „bus ac Primoribus stirpis Regiæ
 „Præsidibus, supremorum concilio-
 „rum & Imperii censoribus, ut
 „coacto rite cœtu singula revoca-
 „rent ad examen, in quo veritas
 „& falsitas perspicue patuerunt.
 „Quonia[m] vero Joannes Adamus
 „jam e vivis excesserat, Majestas
 „Tua, Ferdinandum Verbiestum
 „(quem quæri jussérat) Astronomiæ
 „præfecit, & honoris titulo conde-
 „, coravit.

,, coravit. Quod quidem beneficium
 „ reliqua superavit omnia.

,, Beneficiis autem tam eximiis
 „ cumulati, haud poteramus quid-
 „ quid scientiæ in Nobis erat, ad uti-
 „ tilitatem publicam non exerere, &
 „ inchoatas lucubrations nostras
 „ ad ultimum complementum non
 „ deducere: Itaque intra Palarium
 „ scripsimus de quibusvis scientiis
 „ à Nobis in Europa comparatis
 „ plura volumina; nempe de Astro-
 „ nomia, Arithmeticâ, Musica, Phi-
 „ losophia, & similibus, in quibus
 „ concinnandis per annos viginti
 „ & amplius desudavimus, & etiam-
 „ num finem imponere non potui-
 „ mus. Cum autem Majestas Tua.
 „ hæc omnia habeat perspecta non
 „ est opus illis referendis ad nau-
 „ seam insistere.

,, Quod si vero falsæ doctrinæ
 „ professores sumus, quibus diffi-
 „ dendum esset; qui fieri posset, ut
 „ à primo Imperatoris Xunchii an-
 „ no jussi fuerint decessores nostri

H

,, bellica

„ hellica instrumenta juxta Mathe-
 „ seos normas efformare? Philippus
 „ Grimaldus per mare ad Moscos
 „ trajicere , & epistolam Tribuna-
 „ lis Militia Imperatorio sigillo mu-
 „ nitam ad illos deferre ? Thomas
 „ Pereria & Francisus Gerbillonius,
 „ honorifico titulo decorati , bis ad
 „ eosdem Moscos terrestri via con-
 „ tendere ? sunt tamen qui hæc quo-
 „ que , non ut præstata Majestati
 „ Tuæ obsequia , sed ut nobis pe-
 „ culiaria commoda , vel aliis il-
 „ latas injurias intueantur. Sane
 „ qui recte & fideliter agit , non est
 „ censura dignus , sed ab omnibus
 „ approbari debet : qui vero infide-
 „ liter & cum pravo animo opera-
 „ tur & quæ sua sunt tantum quæ-
 „ rit , is ab omnibus , utpote impro-
 „ bus , qui que à recto deviat , merito
 „ reprobandus est.

„ Decessores ac socii nostri à
 „ longinquis regionibus , per mil-
 „ le maris pericula ac inumeros
 „ labores venerunt , non ut famam
 „ sibi

„sibi aut divitias acquirerent , sed
 „ut rectam doctrinam in quibusli-
 „bet ad dispositis locis edocerent:
 „Sinas autem ingressi Imperatoriæ
 „Majestatis benevolentiam merue-
 „runt. Et vero Imperator Xunchius
 „Majestatis Tuæ Parens , anno X.
 „Imperii sui Joanni Adamo Mathe-
 „eos Præfecturam , ac honoris in-
 „signia contulit : anno autem XIV.
 „locum Ecclesiæ construendæ do-
 „navit , & ad fores Templi extru-
 „sti , insculptam marmori honorifi-
 „cam inscriptionem erexit. Ad
 „hæc Tua Majestas anno 27. Im-
 „periisui , præter dignitatem Asses-
 „oris in supremo Operum Tribu-
 „nali (quam Ferdinando Verbie-
 „sto contulerat,) eidem è vivis sub-
 „lato , altiorem dignitatis gradum
 „conferre dignata est ; jussitque
 „Rituum Concilio , ut ad mortui
 „sepulcrum singulares illi honores
 „exhiberent , quæ omnia constant
 „ex ejusdem Tribunalis codicibus,
 „ubi annotata servantur. Præte-

„ rea nobis præcepit Majestas Tua,
 „ ut Tartaricam linguam, nobis fa-
 „ cilem disceremus; quo libros po-
 „ semus interpretari facilius. In in-
 „ teriori autem Palatii loco jussu
 „ Tuæ Majestatis, missas in Mosco-
 „ viam & alio literas vertimus; eam
 „ felicitatem consecuti, ut sine ulla
 „ prorsus dubitatione nobis crede-
 „ res, & ut probatæ fidei homini-
 „ bus utereris: quamvis enim adve-
 „ næ simus, nullam personarum aut
 „ nationum distinctionem facis, ne-
 „ que ad diversitatem Regnorum
 „ atque locorum, sed ad solam pro-
 „ bitatem atque fidelitatem atten-
 „ dis, ut cuiuslibet opera utaris. Quæ
 „ cum ita sint, qua ratione fieri po-
 „ test, ut Prosper Intorcetta, ab ad-
 „ versariis exagitatus, locum ubi de-
 „ gere possit in hoc Imperio non ha-
 „ beat? Propterea etiam si maxime
 „ velit, non potest non continuas
 „ profundere lacrymas, cum acer-
 „ bissimo doloris sensu, miserrimam
 „ sortem suam deplorans.

„ Igitur

„ Igitur nos subditi Tui ; soli &
 „ orphani , cum neque unum qui-
 „ dem habeamus hominem cui cre-
 „ dere & cujus niti authoritate
 „ possimus , ad Tuam ipsam Maje-
 „ statem confugimus suppliciterque
 „ imploramus perspicacissimam sa-
 „ pientiam Tuam , qua nostram
 „ nostræque Legis causam expen-
 „ das , eamque decerni ex æquo &
 „ justo jubeas . Eam ob rem hunc
 „ supplicem libellum scripsimus , &
 „ offerimus Majestati Tuæ , tuam
 „ cum timore ac tremore sententiam
 „ expectantes . Khamhii anno 30.
 „ Lunæ 12. die 16.

Supplex hic libellus magnam
 habebat elegantiam & vim in lin-
 gua & Sinensi & Tartarica . Sane
 ipsi Mandarini & Litterati Sinen-
 ses , dum eum legerent , admira-
 bundi hærebant , cum ob energi-
 am ac efficaciam , tum propter li-
 bertatem , qua ita adducebantur
 obsequia & merita , favores & gra-
 tiæ , ut æquitas causæ , ut necessi-

H , tas

tas etiam gratificandi appâreret ; adeoque beneficium libertatis Legis Divinæ , non ex favore tantum , sed ex justitia , vel saltem titulo grati animi concedendum videretur. Quæ quidem stylo Curia adversabantur : & procul omni dubio Nostri , tanquam inexpialis criminis rei , illi- eo fuissent accusati à Censoribus (qui de more invigilant , ne quid contra Imperii leges , vel consuetudines agatur) nisi & ipsi sibi persuasum haberent Nostros de expresso Imperatoris consensu libellum ejusmodi of ferre. Imperator vero idcirco hanc libelli sententiam esse voluerat , ut pateret omnibus , se in retractanda Legis Christianæ prohibitione recte agere , & imitari Parentem suum , qui non tantum illius Religionis propagationem permiserat , sed etiam illius Præcones singularibus foveret favoribus beneficiisque , in Legis Christianæ honorem cedentibus , eamque velut tacite approbantibus.

Obta-

Obtabat tamen Imperator, eratque nobis & causæ nostræ admodum conveniens, ut Mandarini Tribunalis Rituum non coacti, sed sponte in id, quod justum erat, consentirent. Ea propter nitebatur Pereria eorum animos demererri, qua obsequiis qua rationibus, quibus causæ justitiam suadebat. Singuli illum excipiebant comiter, & quod optaret suffragium, spondebant. Ast quando ad proferendam sententiam ventum fuit, promissis minime steterunt, ut in ea videre licet; fuit enim hujusmodi.

„In Tribunali Rituum Mandinus Lyco dictus exibuit suppli-
„cis libelli exemplum, quem Præ-
„ses Mathematicæ Thomas Pereria,
„eiusque socius Majestati Tuæ, cir-
„ca rerum suarum principium ac
„finem obtulerunt Khamhi anno 30.
„Lunæ 11. die 16. Die autem 18. e-
„jusdem Lunæ prodiit Majestatis
„Tuæ mandatum, ut super eodem
„negotio institueremus consultati-

„onem nostram , & sententiam
 „proferemus. Majestati Tuæ ob-
 „temperantes , tunc reverenter ik-
 „lud mandatum , & postea 19. ejus-
 „dem Lunæ libelli exemplum in
 „hoc nostro Rituum Tribunali ac-
 „cepimus.

„Res autem , de qua nobis de-
 „liberandum est, ita se habet :
 „Thomas Pereria , & Anthonius
 „Thomas Astronomiæ Præfecti, libet-
 „lum Supplicem Majestati Tuæ offe-
 „runt referentes , quod subditus
 „thus Prosper Intorcetta , qui habi-
 „tat in Ecclesia urbis Hambeu, ho-
 „minem hoc miserit , qui nuntiaret
 „illius Provinciæ Prorogem jubere
 „locorum Præfectis, templo Christi-
 „anorum destruere , librorum tabu-
 „las effringere, eosque sub titulo fal-
 „sæ Religionis foras expellere ajunt :
 „se hic degere solos & orphanos ,
 „nec audere cum indigenis congregari
 „ad injuriam repellendam : rogare
 „proinde Majestatem Tuam , ut exi-
 „mia Tuæ perspicacia clare despicias,
 „se

„ se nullo pravo ac privato animi af-
 „ fectu duci. Et cœtera. Nos ta-
 „ bularium nostrum scrutantes in-
 „ venimus , quod Kamhii anno 8.
 „ Principes Magnates , & supremo-
 „ rum Tribunalium Mandarini, co-
 „ aetō cœtu & instituta consultatione
 „ judicarint : Legem Christianam ni-
 „ bil mali continere neque seditiones
 „ excitare : Prohibendum tamen il-
 „ lam profitentibus , cætus populi con-
 „ gregare , libros , ærea numis mata
 „ distribuere , ita ut solis Europeis
 „ Deum suum venerari liceret : Et
 „ cœtera que in illo consulto conti-
 „ nentur. Ad quod Majestas Tua
 „ dedit rescriptum ejusmodi : Quod
 „ attinet ad Christianam Religionem
 „ (excepto quidem Ferdinando . &
 „ reliquis , qui eam sicut prius ipsime
 „ exerceant licet) quoniam veren-
 „ dum est , ne in hac cœterisque Pro-
 „ vinciis denuo forte extruantur
 „ templa & suscipiantur ista Religio ,
 „ mando rursus expediri diplomata ,
 „ quibus id severe interdicatur , cæ-

„terā vero , qua censuistis omnia ,
 „approbo & rata habeo. Quod Ma-
 „jestatis Tuæ Decretum extat, & re-
 „verenter servatur in hoc nostro Ri-
 „tuum Tribunalu.

„Kursum revolventes tabularium
 „nostrum , invenimus Ferdinandi
 „Verbiesti Mathematicæ Præsidiſ.
 „aucti Titulo Assessoris, in supremo
 „operum Tribunalu , supplicem li-
 „bellum, qui ita habet. Nos subditi
 „Majestatis Tuæ, qui legem Dei pro-
 „fitemur , obsecramus , ut Religio
 „Christianæ , quem admodum Kham-
 „bij anno 1. ante ejus falsam accu-
 „sationem permittatur ita, ut quili-
 „bet pro libitu suo possit sine impe-
 „dimento eam fuscipere, ad evitanda
 „perversa contra illam dicteria at-
 „que calumnias : Et cætera, quæ in
 „libello illo continentur. Super
 „quo operum Tribunal , una cum
 „hoc Rituum Tribunalu ediderunt
 „consultum hujusmodi. Khambij
 „anno 8. Ludovicus Buglius, Gabriel
 „Magallanius, & Ferdinandus Ver-
 „biestus

„biestus libellum supplicem obtule-
 „, rānt, super quo Principum, Ma-
 „, gnatum & Supremorum Manda-
 „, rinorum comitia statuerunt: cætus
 „, Populi in Fanis perpetuo fuisse
 „, prohibitos; eamque ob causam Re-
 „, ligionis Christianæ professoribus
 „, quoque interdicendum à congrega-
 „, gandis cætibus. distribuendis areis
 „, numismatis, & cæteris sicut antea
 „, solisque Europeis indulgendum, ut
 „, Deum suum venerarentur. Quam
 „, sententiam Majestas Tua, suo quo-
 „, que Decreto confirmaverat. Quo
 „, circa judicamus non esse rursus con-
 „, fultandi locum super causa, in li-
 „, bello Ferdinandi Verbiesti contenta.
 „, Ad hoc autem tum bujus tum ope-
 „, rum Tribunalis judicium Tua Ma-
 „, jestas rescripsit sequentia: Vestræ
 „, sententiæ subscribo. Quod si vero
 „, in Mandarinorum catalogis, falsas
 „, & seditiosas sectas recensentibus,
 „, Lex Christiana reperiatur, quasi
 „, ipsa talis etiam foret, jubeo, ut ex
 „, illis expungatur. Quod quidem
 „, Maje-

,, Majestatis Tuæ rescriptum in Pro-
,, vinciam Chekiam & cæteras mis-
,, sum fuit.

,, Igitur quod spectat ad causam
,, præsentem, de qua deliberamus,
,, censemus conservandam esse Ec-
,, clesiam, quæ est in urbe Hamcheu-
,, & reliquas, ita tamen ut soli Eu-
,, ropæi venerationem & cultum
,, Deo suo exhibere possint. Reve-
,, renter expectamus Majestatis
,, Tuæ rescriptum, ut expediatur
,, diploma ad Chekiamensem Pre-
,, regem, ex quo intelligat, quid sibi
,, agendum sit, & exctioni man-
,, det. Datum Kamhi anno 31. Lu-
,, næ 1. die 20. hoc est anno Domini
,, 1692. Martii die 7.

Tametsi secundiorem Nostri
à Rituum Tribunali sperarent sen-
tentiam; præcipuam tamen spem in
Imperatore unice collocatam habe-
bant, ideoque certo certius sibi
persuadebant supradictum Consultū
à Monarcha reprobandum, & ite-
rato cogendum Concilium, ut
novam

novam institueret deliberationem.
Verum insperatus rumor ad nos
pervenit ; videlicet Imperatorem
jam relatam sententiam sine ulla
mutatione confirmasse. Nemo no-
strum huic rumori fidem habuit,
quo usque authenticum prodiit e-
xemplum ab Imperatore subscri-
ptum. Tum vero Præses Concilii
Rituum ad Pereriaim misit , qui suo
nomine congratularetur , quod cau-
sa nostra feliciter esset peracta , tem-
plis omnibus ab eversione vindica-
tis, prius nec interrogato neque
audito Prorege , qui partem age-
bat. Quæ quidem gratulatio post
iteratam Divinæ Legis prohibiti-
onem, vel ficta , vel saltem impor-
tunahabita est.

CAPUT QUINTUM.

Cœtera quæ libertatem Chri-
stianæ Religionis in Sinarum
Imperio præcesserunt.

Pleri-

Plerique è nostris jam desperabant omnino de consequenda libertate Legis Divinæ cuius prohibiciones denuo confirmabantur per ipsum et Imperatorem, in quo spes suas præcipue vel unice collocauerant. Eos tamen Thomas Pereria pro ea, quam de Imperatoris animo habebat, longa experientia, in spem erigere nitebatur, affeverans, fieri non posse, ut tantus ac talis Monarcha, tamque absolutus Dominus, vel cedere Tribunalibus, vel tanta spe nobis data tantoque antecedente apparatu nobis imponere vellet. Et vero mox sequenti die quæ erat 10. Martii, nova cœpit spes affulgere: nam Imperator contra Colaos irratus, eorum Tribunal claudi jussit: ejusdem Tribunalis Præses veluti reus ad Regiæ limen aliquod dies stetit, ab officii sui exercitio suspensus. Ejus filius iisdem diebus jussu Imperatoris in Palatio verberibus, & colaphis percussus est.

Cola-

Colaorum Tribunal idem est
atque supremum Concilium, ad
quod omnes libelli supplices, deli-
berationes, ac sententiæ cœterorum
Tribunalium, illorum etiam, quæ
à quibusdam supraemna appellantur,
ultimo inspicienda atque consultan-
da mittuntur. Hujus supremiti Con-
 cilii Præsidi, qui primus est in Im-
 perio Minister, significaverat Impe-
 rator, optare se, ut tum Rituum,
 tum præcipue ipsummet Colaorum
 Tribunal nostræ causæ faverent.
Cum autem supremum hoc Con-
 cilium, superius memoratam Tri-
 bunalis Rituum sententiam, Divi-
 næ Legis libertati adversantem,
 non approbaret modo, sed etiam
 (ut quidam nobis retulerunt) ag-
 graveret plurimum; idcirco Impe-
 rator Colaos, & præcipue illorum
 Præsidem prædicta animadversione
 dignos censuit.

Interim amicissimus noster
Chaus Imperatori ad commisserati-
onem depinxerat mœstissimos No-
 strorum

itorum vultus , & afflictissimos animos , ex recenter confirmata Catholicæ Fidei prohibitione . Et Imperator , ut leniret nostrum dolorem , per eundem aulæ Magnatem bono nos animo esse jubebat , & patienter dolorem nostrum cohibere aliquantulum . Quibusdam tamen ex nostris minime id sufficiebat temperandæ tristitiae : persuasum enim habebant aulica tantum & officiosa verba esse . Mæstissimas insuper ex Provincia Chekiam literas (persecutionis incrementa nunciantes) id temporis accipiebat Pereria , qui adlaborabat studiosissime nostros ab insolita animi consternatione , Christianos vero à persecuzione sævissima quantocyus liberare .

Opportuna huic incepto sese illi obtulit occasio die 12. Martii , in qua decretit Monarcha P. Isidorum Lucium Macao , quo appulerat , Pekimum accersere , atque unum è Pekimensibus sociis , quem Pereria elige-

et ligere, cum honoris pompa illuc
mittere ad illum deducendam.
Hunc Imperatoris animum Aulicus
Chaus, ut habebat in mandatis, Re-
xeriae notum fecit, qui hanc opti-
mam naetus occasionem, urgenda
celerandæque Libertatis Christianæ
Legis, eidem Chao dedit ejusmodi
responsum Imperatori referendum.

„ Singularia enim vero Imperato-
ria Majestas nobis immeritis con-
o, fert beneficia, quod & secundum no-
strum Isidorum in aulam accerte-
re, & alterum ad illum deducen-
dum legare dignatur. Propterea
omnes ad pedes Majestatis suæ
pro voluntate, quas possumus gra-
tias, agimus. Verum suppliciter
deprecamur, ut sua Majestas per-
pendere non dedignetur, an no-
strorum aliquis tam luctuoso tem-
pore Macaum trajicere possit cum
singulari Regii Internuchi hono-
re.

„ Quomodo audebit tanto cum
apparatu ac pompa tot pertransfi-
re loca, in quibus Ecclesias habe-
mus,
I

„mus, quando illæ luctu tristissimo
 „moerent, & nostri in illis residen-
 „tes socii acerbo consumuntur do-
 „lore, & gravissima afflictione
 „penè intereunt? Quā etiam
 „fronte, & Mandarinorum obse-
 „quia, & applausus populi exci-
 „pere poterit, quando una simul
 „percipere cogetur Christiano-
 „rum gemitus, opprobria, & cala-
 „mitates, eorumque succurrere ca-
 „lamitati non poterit. Ad hæc quo
 „animo ante tot Europæos Maca-
 „enes cives comparebit, iis locum
 „ansamque suspicandi præbēns, nos
 „in hac Aula longe aliter atque in
 „Europa vivere, nempe nostro ip-
 „sorum honori, quam Christianæ
 „Fidei propagationi, impensius
 „consulentes? Pröinde si nostrum
 „quispiam hoc tempore Imperato-
 „riæ Majestatis ageret Internunci-
 „um ipse honor illi cederet in in-
 „famiam, applausus in opprobrium,
 „obsequia in tormenta, festivæ ac-
 „clamations in continuas lacri-
 „mas.

sumas. Quod si ad cœtera beneficia hoc nobis Majestas Regia adderet dignetur, ut nemo ex nostris Macaum legetur, mox per epistolam Isidorum huc evocabo. Ille pro vehementi desiderio, quo unicæ præoptat Tuæ Majestatis obsequiis se impendere, confessim iter arripiet, celeriterque ad aulam perueniet, multo cum majori lætitia atque alacritate sine apparatu publico irerfaciens, quam si illud summo cum splendore perageret.

Ex his omnibus à Chao fideliter delatis, cognovit Monarcha dolorem nostrum esse acerbissimum: quem ne augeret nullum ex nostris Macaum legare & Isidorum sine exteriori pompa venire permisit; ut in gaudium converteret Divinæ Legis libertatem, quam cito concedere decrevit. Eadem enim die (erat 15. Martii) qua illa responsio ad Imperatorem delata est, ad se accersiri jussit Colaorum

tit

Præsidem , qui ad eam usque diem
fuerat ab obeundo munere suo pro-
hibitus , ac remotis arbitris expo-
suit , quantam ipse cum Assessoris-
bus committeret injuriam , dum
obfirmato animo Christianæ Legis
prohibitionibus insistebat.

„ Ita ne (inquit) frui gaudemus
„ omnibus virorum Europæorum
„ obsequiis , quæ hactenus Imperio
„ nostro præstiterunt ; illorum vero
„ Religionem , ob quam solam pro-
„ pagandam huc tam longe vene-
„ runt , obstinate prohibemus , cum
„ nihil sit quod contra eam , aut e-
„ jus Prædicatores juste afferre pos-
simus . Hæc Imperatoris verba ,
aktiori voce proleta , ab aulæ Mi-
nistriis percepta fuere . Quorum
unus etiam Pereriam postmodum ea
retulit , ab ipsomet Monarcha
(quod verisimilius est) ad levan-
dos Nostrorum mæstissimos ani-
mos submissus . Plura alia pro-
lixo sane alloquio ad Præsidem di-
xit sapientissimus Princeps , tit æ
quita-

18

quatenus ostenderet eorum , quæ proxime in favorem Divinæ Legis suprema potestate agere meditabatur. Post hæc (recurrebat dies 30. Lunæ 1. anni Khamhii 31. quæ erat 17. Martii ejusdem anni 692.) mandatum expedivit ad Colaorum & ad Rituum Tribunal ; quo iubebat ut sententia prius lata die 7. Martii ejusdem combureretur. Absque mora Mandatum Regium executioni dederunt Consiliari , vehementer tamen stupentes ad exemplum nunquam in Sinis auditum , quod sententia Tribunalis , per ipsum met Imperatorem confirmata & publicari permissa , exurertur.

Biduo post , nimirum 19. Martii qui dies gloria Sinensis Missionis Patrono , D. Josepho sacer est , ad se Monarcha Principem Sofanum acciri jussit , quem sciebat à multis annis nobis amicissimum , & rerum nostrarum maxime concium , atque aptissimum ad constringenda Tribunalia , ut ad votum Ma-

I ; jella-

festatis tuæ pro libertate Christianæ
Fidei sententiam ferrent; Hic enim
Princeps præter summam, qua e-
minet, autoritatem, adeo effi-
caci præpollet eloquentia, ut ei
contradicere audeat nemo. Vix ei
Imperator, quid in causa nostra
fieri decernique vellet, aperue-
rat, cum ille in Nostrorum & Di-
vinæ Legis laudes effusus, sum-
me etiam laudato Imperatoris
consilio ac decreto, se promptum
paratumque obtulit ad Imperatoris
mandata protinus exequenda. Tum
vero Monarcha, & privatis eum
monitis, & sequenti mandato præ-
munivit.

„Diebus præteritis in Concilio
„Rituum Tribunalis judicatum
„decretumque fuit, ut Ecclesiæ
„Christianorum illæsæ, sicut antea
„permanerent & conservarentur,
„sic tamen ut solis Europæis Deum
„suum in iis colere permitteretur,
„Nunc autem perpendens, quod
„viri illi Europæi præsint Astrono-
„miae

„militæ nostræ , eamque recte admi-
 „nistrent , quod etiam tempore bel-
 „li omni industria atque labore
 „se se impenderint . ut ad perfecti-
 „onem reducerent bellicas machi-
 „nas ; quodque in Comitatu Le-
 „gatorum ad Moscos magna obse-
 „quia præstiterint , in super quod il-
 „lorum lex nihil peruersi , nihil se-
 „ditiosi contineat , proindeque il-
 „lam prohibere idem sit , atque
 „quempiam absque culpa commis-
 „sa injuste punire , idecirco jubeo ,
 „ut Colai una cum Rituum Conci-
 „lio instituant consultationem , &
 „suam mihi proponant sententiam.
 „Datum Khamhii anno 31. 2. die
 „Lunæ 2.

Ita informatus atque præmuni-
 tus Sosanus eodem die ad Tri-
 bunal Rituum advolavit , & stantes
 de more Præfides aliquos ad exci-
 piendum Imperatoris mandatum ,
 „sic allocutus est : Paucis abhinc die-
 „bus venit ad Vos libellus supplex
 „Europæorum , quod rat. oni con-

„fentaneum erat postulantium. Vos
 „autem pro multis ac magnis eo-
 „rumdem erga hoc Imperium me-
 „ritis, eos poena potius quam præ-
 „mio dignos censuistis. Vosne la-
 „tet quanto labore Astronomiam
 „nostram à Cælo aberrantem ad
 „normam certam revocarint? quan-
 „toperē ad laborarint conservationi
 „hujus Imperii, dum rebellium Pro-
 „vinciarum bello premeretur? Ego
 „ipse ad Moschos Legatus, oculatus
 „testis fui, quantū unc Imperio ob-
 „sequia præstiterint, nam (ut ve-
 „rum fatear) neque mihi, neque
 „ulli alteri, sed illis unice debentur.
 „pacis fædera, inita cum Moschis.
 „tanto cum honore, tantaque cum
 „Imperii nostri utilitate. Adhæc
 „jam centum anni sunt, ex quo vi-
 „ri illi sive socii eorum in Imperio
 „degunt, & nullæ etiamnum de-
 „illis huc pervenerunt justæ quere-
 „læ. Pluribus ego annis, ut sci-
 „tis primum in Imperio Mini-
 „strum egi, deque eorum agendi
 „rati-

ratione, tum hic, tum in Provin-
 ciis nihil unquam prorsus cognos-
 vi, quod non multa laude di-
 gnum esset. Quod vero ad eam;
 quam prædicant, legem attineret;
 saepius eandem diligenter di-
 scussi, & semper bonam esse ac
 sanctam deprehendi: Talia sunt
 supremum rerum omnium Con-
 ditorem adorare Monarchis, Prin-
 cipibus, Dominis, atque Magistra-
 tibus obtemperare, Parentibus ob-
 sequi: non pejerare, non occide-
 re, neque ullum proximo malum
 inferre, illius uxorem & bona
 ne quidem concupiscere. Hæc
 inquam sunt illorum præcepta: &
 Christiani, qui mihi sunt ab ob-
 sequiis, ea omnia accurate obser-
 vant. Quid igitur vobis occur-
 rit adversus hanc Legem, ut eam
 iterato prohibendam censeatis?
 Si mali quidpiam deprehendistis,
 notum facite: nam si vere mala
 est, nec decet, nec est in votis
 Imperatori eam approbare: At si

, bona est : non possumus , quasi
,, male esset , prohibere.

Opposuit Confiliariorum non ne-
mo , tam nobili & antiquo Imperio
dedecori fore Legem exteram ad-
mittere . Huic Sosianus statim re-
,, posuit . Cur igitur totum Sina-
rum Imperium summo cum ap-
,, plausu excipit advenarum Astro-
,, nomiam , belli machinas , & alia ar-
,, tis prodigia ? Sapientis est in di-
,, scernendis rebus inquirere , quid
,, bonum quidve malum , non vera
,, quid exterum vel patrum sit . Ob-
jecit alias si lex Christiana appro-
baretur , brevi universum Impe-
rium eam amplexurum . Tunc So-
,, sanus : velint superi ! cessabunte-
,, nim latrocinia , adulteria , seditio-
,, nes . Neque tunc opus erit quot-
,, annis prodigere Imperatoris the-
,, sauros ad stipendia tot militum
,, millibus persolvenda , quos alere
,, hic & in Provinciis omnibus ne-
,, esse est , ad latronum ac factioso-
,, rum hominum audaciam compri-
mendam .

intendam. Instare ultra nemo au-
fas est : cunctisque rationum ef-
ficacitate devictis Sofanus supe-
rius relatum Imperatoris manda-
tum prælegit. Quo audito , tan-
dem constituerunt ad Monarchæ
votum sententiam ferre.

Quia vero astutissimi homines
& supra modum politici adhuc
poterant aliqua cavillatione uti, So-
fanus ipse una cum illis consedit, &
liberaliter sibi concessa autoritate
utens; *ut vos (inquit) hoc sublevem
labore, fiatque vobis negotium expe-
ditius, sententiam ego ipse dictabo.*
Et nemine contradicere audente, si-
cuti conceperat & dictabat , senten-
tia exarata est. Mox ad Colaorum
Tribunal se contulit, eisque tradidit
supradictum Mandatum Regium.
Hinc ad Monarcham reversus, illum
de omnibus certiorem fecit , & de
ejus rursus authoritate die sequenti
20. Martii interfuit deliberationi,
quam Colai una cum Tribunali Ri-
tuum convenientes , juxta Impera-
toris

toris præscriptum inierunt. Eo in Concilio sine hæsitatione (jam enim eos terrefactos Imperatoris in negotio ardor perurgebat) approbata est pridie in eodem Tribunali exarata sententia ; atque insuper à Colais additæ sunt quædam non parvi momenti in favorem nostrum clausulæ. Vixam tamen postea fuit Imperatori pauca aliqua à Solano dictata verba , tametsi honorifica , demere , ne Religio Christiana vel Litteratis Sinensibus nimis reddeatur invidiosa , vel cum Confutatio Sinensis Philosophi doctrina confundenteretur. Vbi deinde Imperator in Colaorum Tribunali nis verbis erasis , aliud exemplar transcribi curavit , demum die sequenti (quæ erat 21 Martii) sententiæ pro libertate Religionis Christianæ in toto Imperio promulgandæ subscripsit . Hæc sententia describitur in capite sequenti.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

Decretum libertatem Religionis Christianæ in Sinarum Imperio concedens ita habet:

„Supremus Tribunalis Rituum
„Præses Cupatay & cœteri me-
„cum Judices, obedituri Majestatis
„Tuæ mandato, super negotio pro-
„posito sententiam nostram pro-
„ferimus.

„Nos omnes rem sedulò discu-
„tientes ac examinantes inventi-
„mus quod illi Viri Europæi, invi-
„tati fama virtutum Majestatis
„Tuæ plura dena stadiorum mil-
„lia, ac immensum prope mare
„emensi sunt, ut huc pervenirent.
„Hi vero Mathematicæ Prefectu-
„ram nunc obeunt, & Astronomi-
„am dirigunt: tempore bellorum
„conflandis machinis gnaviter in-
„cubuerunt: Missi ad Moscos, egre-
„giam operam sinceranque nava-
„runt, efficientes, ut negotium de-
„l, „pace

„pace feliciter concluderetur. Sane
 „illorum merita plurima & admo-
 „dum magna sunt. Ipsi etiam Eu-
 „ropæi & alii eorum socii , qui in
 „singulis habitant Provinciis , mali
 „nihil omnino operantur ; nullas
 „excitant perturbationes. Tarta-
 „rorum sacerdotes , uti & Bonzii
 „Sinenses sua habent Faria , & per-
 „mittitur omnibus , ut illa adeant ,
 „& ibi venerationem exhibeant ,
 „thura cremantes. E contra ve-
 „ro Religio Europæorum (quibus
 „nihil mali imputari potest) prohi-
 „bita jam fuit in hoc Imperio.
 „Quod quidem videtur à ratione
 „alienum. Par igitur est , ut in o-
 „mnibus Provinciis eorum templo ,
 „sicut antea semper factum est , con-
 „serventur , & omnibus secundum
 „antiquam consuetudinem per-
 „mittatur Religionem Christianam
 „profiteri , & templo adire , pro-
 „hibitione omnino sublata. Hanc
 „nostram sententiam subjicimus
 „Majestatis Tuæ arbitrio ac judica-
 „mus

„mus (si ita annuat) eam in omni-
„bus Provinciis promulgandam.
„Khamhij anno 31. Lunæ 2. die 3.

Huic sententiæ duobus tantum characteribus de more subscripsit Imperator, quorum sensus est:
Assentior Consulto. Subsripserunt etiam sua nomina, qui consultationi interfuerunt. Sequenti vero die (quæ erat 22. Martii.) Imperator sententiam pro libertate Legis Christianæ ita exaratam atque subscriptam, transmisit ad supremum Colaorum Concilium in toto Imperio promulgandam. Tum vero secreto cognovimus ex Aulico, qui eam detulerat. de Imperatoris subscriptione. Ingens enimvero erat gaudium nostrum. Illud tamen ante Decreti promulgationem exterius prodere non expediebat sed eam anxie expectabamus, quain primum Imperatori gratias acturi. At benevolentissimus Princeps adeo tenebatur desiderio, nos maximis superabundantes gaudiisvidendi,

di, ut tantæ morte impatiens quæ
heritex adstantibus Aulicis, an non-
dum venissimus ad agendas grati-
as? subiungens: *Nondum hoc il-
lis sufficit, expectantne majus ali-
quod beneficium?* Verum paulo post
aderamus omnes, & præmissis con-
suetis obsequiis officiisque, Tho-
mas Pereria in gratiarum actionem
ita prorupit.

„Quæ lingua condigne poterit
„exprimere, aut quæ mens ictum-
„que concipere magnitudinem be-
„, neficii tam sublimis tamque ex-
„, celsi, quo Majestas Tua omnibus
„, nostris votis abundantissimum
„, imposuit complementum? Sane
„, hoc unicum fuerat nostrum desi-
„, derium, & exoptatissima spes at-
„, que unicus scopus, quo omnes
„, nostræ curæ atque cogitationes
„, diu noctuque collinabant; anxie-
„, assidueque præstolantes felicisfi-
„, mum illud momentum, in quo
„, tanti momenti libertatem asseque-
„, remur, atque per hoc populosis-
„, simum

„sumum Imperium veri Numinis
 „cultum publice dilataremus. Quām
 „ob causam (ut perspectum est
 „Majestati Tuæ) patrem & ma-
 „trem , ipsamque Patriam deserui-
 „mus, & per mille maris pericula
 „hunc in Orientem migravimus.
 „Propterea quemadmodum inmen-
 „so nobis erat dolori , veri Dei Le-
 „gemi tot inter prohibitiones ve-
 „lut captivam videre , ita etiam
 „summum est gaudium , quo hodie
 „exultamus ob Legis Divinæ liber-
 „tatem , Summe veneramur in præ-
 „senti facilitate nostra Dei Provin-
 „dentiam , quod omnes Tribuna-
 „lium Ministri , ad quos Catholi-
 „cæ Fidei causa delata fuit , perti-
 „naciter repugnarent , ut totam
 „hanc ingentem gratiam soli Ma-
 „jestati Tuæ unice deberemus. Plu-
 „rima & singularia nobis Tuâ
 „Majestas contulerat beneficia , hoc
 „tamen alia omnia longe superat ;
 „non tantum quia perse maximum,
 „sed etiam quia singulari industria
 „tua

„tua immensum auctum. Profess
 „, cto gratia præsens tanta est ; ut
 „etiam si laudes Majestati Tuæ
 „perpetuo agamus ; & ejus assiduis
 „obsequiis occupemur ; numquam
 „tamen satis grati esse possimus.
 „Cum igitur neque verba ; neque
 „facta pro debitiss reddendis gratiis
 „stupescant ; ad pedes Majestatis
 „Tuæ provoluti iterum atque ite-
 „rum nosimet ipsos ; & omnes so-
 „cios nostros offerimus ; promptif-
 „cinos non tantum ad dominum
 „Majestatis Tuæ nutum ; sed etiam
 „ad interpellanda Divinam Boni-
 „tatem ; ut eidem vitam longam ;
 „valetudinem felicissimam ; felix-
 „que conservet Imperium :

Ad hæc Imperator his tantum
 „verbis respondit : Optime enim ve-
 „ro dicitis quod hoc beneficium sit
 „magis aliis omnibus quæ hactenus
 „vobis contuli : Admonuit etiam
 nos , ut ad beneficii diuturnitatem
 caute eo timeremur ; optis esse Chri-
 stianos , imprudenti agendi modo
 obnoxios ,

obnoxios, in officio & quietos continere. Antea quoque nobis significaverat, ut Religio Christiana se quantum fieri possit, accommodaret Imperii consuetudinibus ; nec eas rejiceret , quæ solum in politico cultu consistunt, utpote Legi Christianæ non repugnantem.

Ita demum ad optatissimum finem perducta est tamdiu expedita & tot conatibus pridem attentata Religionis Christianæ libertas, promulgata Pekim die 5. Lunæ 2. Annò Imperantis Khamhii 13. ætatis ejusdem 39. à Fundatione Imperii Tartaro Sinici 49 à condita Sinarum Monarchia 4644. à primo Christianæ Fidei ingressu in Sinas (juxta id, quod refert in Provincia Xensi erecta pyramis) 1056 à morte S Xaverii ad portas Sinarum 140. à fundatione Missionis Sinensis per patres Societatis JESU 109 ab ejusdem Missionis restauratione post persecutionem Yamquamfieni 24. Domini nostri JESU CHRISTI anno 1692: die

22. Mēnsis Martii, die quidem summī solatii ac gaudii omnibus Missionariis & Christianis Sinensibus, Ethnicis autem unicæ æternæque felicitatis

Quoniam vero hujus felicitatis ac gaudii diuturnitas, tot inter Christianæ Fidei potentissimos pariter ac acerbissimos hostes, ab omnipotentiis Dei Domini nostri manu omnino pendet, exoranda est Divina ejus Clementia, ut perpetuum efficiat, quod beneficium semel coferre dignata est. Idque ego ab omnibus, qui hanc narrationem vel legerint vel audierint, submisse atque enixe exposco, & ut una nobiscum Divinam pariter obsecrent Majestatem, (in cuius manu sunt animi & corda Principum) ut sicuti Imperatorem nostrum ad tam piam delibertationem sententiamque inflexit, & ad perrumpenda omnia obstacula roboravit, ita etiam cum efficacibus Divinæ gratiae auxiliis attrahat atque alliciat, usque dum superatis omnibus impedimentis atque difficultatibus, fiderit quam

quam bonam & sanctam esse agnoscit, talemque publico Decreto declaravit, ipse met amplectatur. Quod tandem aliquando futurum, qui hic residemus, speramus, unice tamen confisi pretiosissimis Domini nostri JESU CHRISTI meritis, intercessione SSmæ. Virginis Servatoris gentium Matris, & gloriosissimi Sinarum Patroni Divi Josephi, atque ferventissimis precibus Fidelium omnium, qui animarum, salutem eo quo parest studio desiderant.

Relatio de libro Sinico-Latino- R.P. Verbiestii

VIdi librū inscriptum : Astronomia
Europæa sub Imperatore Tarta-
ro Sinico Cañ Hy appellato in
lucem revocata á P. Ferdinando
Verbiest Flandro-Belga Brugensi è
Societate JESU , Academiæ Astro-
nomicæ in Regia Pekinensi præfe-
cto. Anno salutis M DC LXVIII. fol:

K 3

CUM

eum figuris Observationum & Organorum. Omnia cum ipso discursu tabulis incisa ad Sinensium modum. Discursus inscribitur: compendium latinum proponens XII. posteriores figuras Libri Observationum, nec non VII. priores figuras Libri Organici.

Narrat sub initium Colaos seu Administratos status & præcipuos auxiliæ Magnates, jussu Imperatoris observationum aliquor testes oculatos fuisse, & deprehenso exactissimo calculi consensu cum cœlo, concilio Magnatum quater hanc unam in rem convocato, P. Ferdinandum fuisse constitutum supremum Academiae Astronomicæ Præfectum, & Astronomiam Europæam de invidia & calumnia Sinensium & Maturorum triumphasse, & religionem Christianam quinto persecutionis suæ anno in publicum iterum produisse, templis in omnibus fere Imperii provinciis ut prius apertis.

Observationes erant hujusmodi;
Umbras

Umbra meridianæ calculo prædictæ , quoꝝ aliquoties factum ; Gnomon erat columna ænea octo pedum & amplius in turri obſervatoria ; Pes ſinensis proxime æqualis eſt antiquo Romano, dividitur in 10. digitos, ſinguli digiti in 10. primas , & hæ in 10. ſecundas ; Distantiæ ſtellæ Martis à Marchal Pegasi prædefinitæ uno mense & amplius ante obſervatiōnem ; Altitudinis ſolis meridianæ , & ejusdem declinationis distantia Lunæ ab Arcturo.

Imperator deinde Patri Ferdinandō imposuit , ut Instrumenta Astronomica ad modum Europæorum fabricari curaret quæ facta ſunt ſex diversi generis intra quadriennium 19. circiter millibus Imperialium consumtis , & 16. libris Sinice de eorum fabrica , theoria , & uſu conſcriptis . Idem P. Ferdinandus multa etiam alia Instrumenta Mathematica ad 55. numerum , jussu Imperatotis & partim in privatum hujus uſum confecit , & molis ingentis

K 4. lapides

lapides pro Mausolæo Regio , quos
 500. equi rotis curulibus ægre trahe-
 bant. exhibitis trochleis per pontem
 longissimum transvexit , & aquædu-
 etum per longam planitatem pro fon-
 tanis aquis ad 8. stadia duxit , & no-
 vo Mechanicæ artificio 132. tormenta
 bellica ex ære fudit , & currui
 suo nova forma confecto imposuit,
 & jussu Imperatoris propositiones
 Mechanicæ fundamentales expli-
 cit. Tabulas Astronomicas expan-
 das planetarum & eclipsium Solis &
 Lunæ ad bis mille annos venturos
 & ultra extendit. Nunc se Dialecti-
 cam & Philosophiam præ manibus
 habere ait , sub pallio Sinico intro-
 ducentam ad Religionis Christianæ
 evidentiam clarius demonstrandam.
 Inter alia instrumenta est Globus
 cœlestis, Anemodicticū , Armilla æ
 quatoria & zodiacalis, Horizon cum
 triangulo azimuthali , Quadrans
 volubilis. Mandarini vigiles horis
 inter se distributis omnia cœli & aë-
 ris phænomena diligenter notant , &
 singulis

singulis diebus mane ad Prefectum Astronomiae deferunt, quotidie etiam ad stylum æneum veterem supra dictum umbram meridianā observant. Perpendicula sunt tenuia fila ænea cum globis æneis, æneo-tubo (ob motum aeris) inclusa. Globum Astriferum 2000 librarum vel puer nullo negotio versat & ad omnem altitudinis gradum attollit. Magna opus diligentia est, errores enim a Sinentibus non instrumentis aut calculo sed Astronomiae Europææ ipsis exosæ imputantur.

De magno Imperatoris erga scientias Mathematicas affectu & discendi studio P. Ferdinandus ita differit: quatuor circiter anni elapsi sunt, cum me Imperator per quinque menses continuos quotidie in suum Museum vocavit, ac totos pene dies detinuit, libros Astronomicos ad 120 à Patribus Sinico idiomate scriptos ipsi explicui, vix uno alterove ex ephebis astante Imperatoreq; deinde ipsi prandenti in aula fercula ex sua

K 5

menta

menſa in vasis aureis mittente. Cum
alias Imperator à ſuist anquam arca-
num aliquod numen colatur, & legati
exteri ſe magno beneficio affectos
putent, ſi vel eminus aſpiciendi ejus
facultas detur.

Imperator intellecto Elementa
Euclidis eſſe præcipua Mathēſeos
fundamenta à P. Mathæo Riccio Si-
nīce verſa explicari ſibi voluit, & à
capite ad calcem pertinaci studio
omnes propositiōnes exquisivit, &
in Tartaricūm idioma verti juffit.
Inde Arithmeticam & Analyſin tri-
angulorum rectilineorum & sphæri-
corum percepit; & his ſpinis calcatis
ad amœniora proceſſit, Geometriam
Practicam, Geodæſiam, Chorogra-
phiam. Arithmeticam optime cal-
let, & in variis regulis proportionū
ſe diu multumque exercuit, etiam
difficiliora quædam, quæ ſpectant
ad radices quadratas & cubicas, &
arcana quædam ex progressionē
Geometrica & Arihmetica tentavit;
nec mediocritet gauebat, quando
videbat

videbat in Geodæsia calculum prædicere , quæ deinde fune & pertica deprehendebat. Theoriam Planetarym per orbes papyraceos sibi vobis demonstrari; totum autem Systema stellarum fixarum ita animo infixit noctibus pluribus insuntis, ut vel sublatis in cœlum oculisquam libet stellam facile nominare possit. Ita Uranie Europæa Regales animos primum dignata movere , magnam majorum successum spem fecit. Et ut olim Reges Magos stella traxit ad adorandum verum Deum, sic etiam hos Principes extremi orientis astrorum notitia potest paule latim ducere ad Astrorum Dominum colendum atque adorandum.

Episto-

**Epistola R. P. Claudii Philippi
Grimaldi, Societatis Jesu ad
Godefridum Guilielmum Leib-
nitium, Serenissimi Electoris
Brunsvigo-Lunenburgici Con-
filiarium Intimum Regiminis
& Justitiæ.**

POst longa difficillimorum itine-
rum fastidia me plurimum re-
crearunt literæ tuæ, quæ una cum
gratiosissimi Poloniæ Regis Epistola
per Patrem Adamum Kochanski fi-
deliter transmissæ, mihi redditæ sunt
in portu Goano. Non est, Clarissime
Domine, quod suspiceris, me inter-
cidentium negotiorum turbis & vi-
arum ærumnis oppressum tui me-
moriā depositisse, nam licet innu-
meris calamitatibus sim conflictā-
tus, inter ipsos tamen gravissimos
labores & peracerbas miseras me-
Dei O. M. & Amicorum Europæo-
rum dulcis recordatio solabatur; &
eorum amicitiam tum maximè æsti-
mare

Mare scivi, cum ab iisdem longissime avulsus per inhospitas terras & in medio non unius nationis prævæ peregrinabar. Ipsi Barbaris, per quos transivi, sim ego magis barbarus oportet, nisi tecum & cum similibus tibi viris suavissimum literarum commercium, animorum scilicet intimam communicationem studeram conservare, id quod abunde præstabo, cum quietis aliquid Pekini nactus fuero. Cæterum questiones tuæ sunt multæ & graves, quibus omnibus, ut satisfiat utar sociorum meorum opera, qui per omnes Sinarum provincias dispersi, suis quique in locis rariora & scitu digniora colligent, quæ omnia citra invidiam eruditæ Europæ curiositatib[us] libens co[m]municab[us]. Tu interim ne negligas comparare aliquæ scientiarum cimelia, quæ nobis reciprocō obsequio submittas. Deus tibi tuisque in omnibus benedicat, ut ita trahreas per temporalia, ut non amittas æterna. Datum Goæ 6. Decembris 1693. K. 4. Ek.

**Ex literis D. Antönii Thomæ
Pecquini datis 12. Nov. 1695.**

IN aula versatur (videtur loqui de P. Grimaldi) magna sui & Societatis commendatione, non minùs propter virtutem prosus extimam, quam absolutam in mathematicis eruditionem, cuius notitia Imperatorem, Mandarinos, & Sinas universos majorem in modum devincit. Vix publicam ritus Christianos amplectendi facultatem subditis omnibus Imperator concesserat, cum non sine ingenti animi sui solatio percepit quotidianas ab idolatria ad Christum conversiones: Ut R. P. Ciceri Italo jam destinato ad episcopatum Pecquini, ubi degebat in aula, ex privatis partibus licentiam redeundi indulserit cum R. P. Falsaitidem Italo, promulgandi Evangelij gratia dissitis maxime provinciis, quæ Patres, qui sternali ipsis ad cœlum viam, identidem

dem expertunt. Hoc imperium Vi-
ros Apostolicos tanta prosequitur be-
nevolentia ; ut spes non ex vano af-
fulgeat ; fore , ut Chiha tota ad fi-
dem catholicam mensis unius spatio
traducatur. Certe jam Mandarini
seu Principes duo sacro fonte abluti
sunt , divinita gratia in eorum cordi-
bus tantum erga ritus Christianos a-
morem excitante , ut non tantum ar-
denter juxta ac constanter publicis
Religionis Catholicæ exercitiis in-
tersint ; verū etiam faventi animo ad
aras sacerdoti serviant , aliaque bene
multa Europæ pietatis ministeria
magna cum reverentia obeant P.
Vastam , & P. Josephus Raymund
in Arragonia nati ; strenuos labores
suos unius quoque Mandarini ba-
ptismo coronarunt ; quod exemplum
ingentem vim populi ad veram Re-
ligionem attraxit. Verum nullus
satis mirabitur fructus uberrimos
a R. P. Crocivæo Mediolanensi in
tam celebri proviñcia collectos : per-
scripsit enim se præ nimia in tingens

dis unda sacra Neophytis lassitudine,
brachiorum usū propè destitutum,
coactumque accire socios; obtinuisse
P. Pekardt Italum , qui modo non
minore ardore in salutem animarum
incumbit. Ex æquo labori gaudie
respondente, intra spatiū non ma-
gnū temporis baptizatos à se mil-
le infantes, & totidem adultos per-
scribit. Fructus & operæ pretiū por-
rexit se ad ipsum aulæ gremium, ubi
Princeps quidam , cuius mater ulti-
mæ Imperatricis soror erat , recens
Christo adjunctus, cœlestes favores
tanti æstimat , ut quotidie ad me-
diā usque noctem preces extrahat,
imò & domesticos fidei Christianæ
rudimentis instituat. Princeps aliis
Junior 13. annum ætatis agens , su-
cepto cum pompa publica & ma-
gno pietatis sensu baptismi sacra-
mento , eam in aula de religione
Christianā existimationem concita-
vit , ut de re nulla , perinde ut de
Christi Jesu fide sermo increbescat.
Memorabilis mors Mandarini ætate
jam

iam proiecti vacillantes in fide au-
 licos multum confirmavit : cum e-
 nim rerum terrenarum amore irrita-
 tus , à Christi jugo mirum quantum
 adhorroreret , in ultimo vitæ articulo
 profusis ubertim lacrymis baptis-
 mum petiit , dein animam rite expi-
 atus cœlo transmisit , hoc commotus
 spectaculo filius unâ cum uxore to-
 taque familia , non tantum parentis
 sui consilia fecutus est , sed etiam ve-
 ræ fidei mysteriis imbutus , gmina-
 curavit ædificari templa , unum qui-
 dem prope domum suam , alterum
 circa urbis pomeria Matri sine labore
 econceptæ dedicatum . Illius Patruus
 Mandarinus Principesque alii san-
 guine juncti ad eandem viam ine-
 undam se accingunt . Multitudo po-
 puti ac parvolorum baptismi lavacro
 ante mortem renascentium tam nu-
 merosa est , ut Imperator , quanquam
 certis retentus rationibus Christianū
 se necdū profiteatur , videatur sibi
 Religionem nostram neclatis extol-
 lere , nec suam ex subditorum con-

L versione

Versionē lāetitiām satis explicare posse. Cum ad venationem in Tartariam prefecturus nuper esset, P. Grimaldi Provinciali, & P. P. Cicéri, Petreirae, & Gerbillon Gallo palam edit, laudare se impense zelum opérariorum, quos amaret unice & bono raret. Mira vultus gratia & affabilitate egit cum P. P. de rei Christianæ incremento, simulque auctor fuit; ut auxiliates copias ex Europa accerserent, dictans, haud posse tot Latres in Chinam advenire, quot & sua & subditorum expleant desideria; Complura postmodum amoris vero paterni sp̄cimina edidit. Has literas dñi absolvo, nunciatur Macao adventus decem Missionariorum ex Societate; hic nuncius Imperatorem vehementer oblectavit; aliquos apud se in aula retinere, reliquos quaque versum dimittere constituit p̄r vastum Imperii sui ambitum; quod magnitudine sua Europæ nequaquam cedit. Complectitur ducentos & amplius milliones hominum, adeoq; et incolarum

Incolarum numero est Europa du-
plo maius. Labores nostri fortun-
tur felicem eventum à singulari Re-
gis in nos studio, & à pace perpetua
quæ in Imperio semper viget; partim
ad experrectis simatisque Sinensium
ingenii: vident enim idola fabulis
esse accensenda, inditum sibi à natura
lumen asserunt, quo percipient, unū
duntaxat esse Deum, quem Dominū
appellant, cuius honor & gloria per
universam Chinam magis in clarescit.

Brevis descriptio itineris Sinen-
sis à Legatione Moscovitica Anno
1693. 94. & 95. confecti, communi-
cante Dno. Brandio Lubecensi qui
fuit in comitatu Dni. Isbrandi à
Moscis ad Sinas Ablegati.

EX urbe Moscuæ profecti attigere
Ustigam Majorem, inde trans flu-
vium *Dvvinam*, paulo inferius ver-
sus fluviūm *Wizogdam*; unde *Ziri-*
anum petierunt, vulgo *Siranni* di-
ctam. Hujus provinciæ incolæ pecu-
liari lingua gaudent a Russica plane

L 2

discre-

discrepante; in ea tamen multa inventa
niuntur vocabula, linguae rusticorum
Livonorum non dissimilia. Hinc
perreverunt ad maiores & minores
Permianos, qui itidem singulari ser-
mone utuntur, cui cum Russico aut
Zirianico nulla prorsus est affinitas.
Et hi quidem populi Russorum fidē
sequuntur, & diffunduntur usque ad
metropolis *Permiae*, *Soliakaniskoi* &
montes *Wengaturios*, qui ad Siberiam
aditum praebent. Ultra hōs *Wognizoi*
Tartari habitant, qui equorum pel-
les de arbore suspensas adorant.
Propter flumina *Tura* *Tobol*, & partē
Irtis, ingens multiudo Tartarorum,
qui *Sibirskoi* appellantur, multas ci-
vitates atque villas incolit. Hi fidē
profitentur Mahometanam, & libero
religionis suae exercitio & Mōschēis
utuntur. Ad inferiorem partem *Irtis*,
ut & *Obii* fluvii, qui ē Calmukō-
flum régione a plaga inter Aūstium
& Septentrionem media veniens, in
mare Tartarium trans frētum *Wai-*
gats defluit, itemque ad fluvios *Waa-*
cha

Sba & Keta, degunt, qui *Ostaki* appellantur. Isti pellem ursi venerantur, & per hanc iusjurandum dare solent. Nimicum ursi jaçulis confixo caput præcidunt, quod magno cultu prosequuntur, deinde capitibus paululum inclinatis & sibilo edito, qualicanes allicimus, hæc verba faciunt; Quis te occidit? Russi; Quis caput resecavit? securæ Russicæ; Quis tibi pellem detraxit? cultri Russici: omnem enim culpam in Russos conferunt. Vestibus induuntur confectis e pellibus sturionum aliorumque piscium, neque ulla interula aut subnacula utuntur. Si fluvium Jenisca ascendas, non procul à flumine Tungisca Tungisi populi occurront. Hi pellibus vestiuntur, sed ita, ut hispida pars extrinsecus apparet, per astatem vero nudi incedunt, pudendis tantum coopertis. Cæterum diabolum invocant, & quæ scire avent, quærunt ex Schamanis id est Flaminibus sive Magis, quibus dona offerunt. Porro ascen-

dendo ad fluvium *Angara*, ex mar-
ri *Baikal* sive *Kitay* lacu promanan-
tem, vagantur complures populi,
qui *Buratskoi Tartari* vocantur. Hi
credunt Creatorem cœli & terræ,
cui oves, equos, ac boves immolant,
Solem procumbentes adorant, ante
ædes suas perticas altas erigunt, qui-
bus hircos & oves affigunt. Dele-
stantur etiam re pecuaria, maxime
camelis, quorum ibi magna copia est:
unde complures à Caravanis ad Sinā
tendentibus redimuntur, ita ut optimus
camelus r. vel ad summum r.
Rubelis haberit possit. Mari *Baikat*
trajecto ad flumen *Zelinga* perventū
est, quod ex *Mongalensi Tartaria* des-
cendes, in hoc mare exoneratur.
Hinc ad sinistram ripam fluvii *Ude*
ascendere, ubi urbs *Udinskoi* sita est
quæ prima est porta Dauriæ. Inde
terrestri itinere processit Legatio ad
Niucheu vel *Nenziskoi*: ubi occurruunt
Tungusi Olenui Nukionkotæ, qui ea-
dem qua Burazkiani fide, quam fu-
pra

præ memoravimus, sunt imbuti : excepito quod res defunctorum pretias una cum ipsis sepeliunt, & senes decrepitos in edita montium deducunt, & cremant, tumulis item optimum cujusque mortui equum palo affixum imponunt. A Nenziskoi in Orgunijsam, & inde ad Sinas itum est per solitudines intinere quinque septimanarum, nec prius homines obviam habuere, quam post superatos montes Zelios, unde fluvius Zalo originem trahit. Juxta hunc gens quædam Targæfin dicta commoratur, quæ agriculturæ, cum primis vero milio, hordeo, tobacco &c. colendis vacat. Horum religio à Tungusorum cultu non multi in differt. Ab hinc transcenduntur montes, in quibus primæ Chinensium excubiæ, Karaul appellatae, in edito monte positæ sunt ; atque inde perrectum est ad urbem Nave vel Xixigan, cuius incolæ in domibus tatis ornatis habitant, & diabolum noctu horrendum.

da clamore ut Deum venerari solent.
 Hinc ad *Mougalos* sive Tartaros per-
 venerunt, quorum religio est *Dolat Lamam* & *Kutugtam* sacerdotes suos
 venerari, quorum imagines etiam
 in ædibus suis colunt, earumque in
 gratiam complures ollulas variis es-
 culentis & potulentis plenas appo-
 nunt: cum vero mortuum sepeliunt,
 in tumba gallum album collocant.
 Virgo quædam religiosa apud hos
Mugales nobis occurrit, quæ globulos
 precatorios versans indefinenter nef-
 cio quid submurmurabat, interrogata
 à Legato, quem adoraret? respon-
 dit se adorare Deum, a Deo nostro
 cœlo deturbatum, & cœlum aliquan-
 do recuperaturum nostro rursus de-
 jecto; tunc magnas rerum conver-
 fiones inter mortales eventuras esse.
 Posthæc per ventum ad *Karakitai*,
 & primum *Sinenium* (in alio exem-
 plari: ad *Karakota* primā *Sinenium*
 urbem) & tandem unius diei itinere
 ad *Murum* à Tartaris dictum *Zahan Crim,*

Crim, tetisque orbe celebratum.
Iste Murus est allitudine quatuor hexapodarum sive orgyarum, tantæque latitudinis, ut super illo septem vel octo homines junctim equitare possint; Longitudo ejus trecentis miliaribus germanicis æstimatur, si in plano compositus esset. quadringenta millaria excederet: Non raro enim per altissimas rupes & editorum montium cacumina ductus est, & quarta quaque millaris parte turres conspicuntur, unde in appropinquantes tela emitti possunt. Aporta ubi per istum murum aditus datur, usq; ad Sinicam metropolis. Magni Chami sedem, octo dierum iter fuit per multas urbes, villas & vicos, ubi inumerata tempora ocurrunt, in quibus terribiles idolorum formæ visuntur, quarum aliquæ altitudinem habent octo ad decem orgyarum. Rex Sinensium est *Mangur* sive Tartarus Orientalis, vultu non ineleganti, ac annos habens quinque supra quadragesima

ginta. Hactenus brevis ista itineris
recensio Cæterum accepimus Domi-
num Ablegatum polixiorem ejus de-
scriptionem figuris ornatam medita-
ri. Cum esset Pekimi, audivit P.
Grimaldi Goæ in India appulisse.
Quod attinet Tartaros occidentales
usque ad Grimæam habitantes, de-
his aliquando distinctius aget. Ho-
dierni Chinæ Regis nomen
est Kam Hi Ammalog-
do Chan.



Appen-

Appendix.

Excerptorum ex literis à R. P.

Johanne Francisco Gerbillonio 2.
 & 3. Septemb. 1689. ex urbe Ni-
 pchou Tartariæ Orientalis ditio-
 nis Moschicæ prope Sinensis Im-
 perii fines, datis ad RR. PP. Fran-
 ciscum de la Chaise Regis Christi-
 anissimi Confessarium, & Anto-
 nium Verjusium missionum Ori-
 entalium directorem.

A It Gerbillonius se cum R. P. Thoma Pererio Lusitano, bis
 eo anno ab imperatore Sinarum in
 Tartariæ Orientalis deserta missum,
 ut Legatis Sinensibus cum Moschis
 tractaturis interpretum vicem præ-
 starent. Mosci per vastas Scithiæ
 Regiones ita paulatim dilatavere
 imperium, ut tandem in Sinenses
 Tartaros inciderint, & in quadam
 asserta ab his provincia, coloniis
 ductis, ædificatoque munimento,
 Sabellinorum inurium venationem
 sibi vindicare cœperint. Unde tri-
 cennale

cennale circiter bellum , non illud
 quidem grave aut cruentum ; mu-
 nimentum tamen bis à Sinensibus
 dirutum est , & bis à Moscis refe-
 ctum. Tandem cum tertio obside-
 retur , & parum à deditione abeasset ;
 Legatus Magnorum Ducum in au-
 lam Pekimensem venit , nuncians
 mox plenipotentiarios in finibus
 affore tractandæ pacis , & limitum
 definiendorum causa. Id gratum
 Sinensibus fuit , qui haec tenus exer-
 citu opus habuerant , ut se oppone-
 rent progradientibus Moscis , quos
 constabat prope provinciam Le-
 aotung venisse ; & in ipso litore
 Orientalis Oceani ex adverso Japo-
 niæ colonias locavisse , quas Sinen-
 ses dissipavere. Itaque spe pacis so-
 luta obsidio est , & intellecto Plenipo-
 tentiarios Moscos prope fines Impe-
 rii venisse anno 1688. & in urbe Se-
 Jingha , quadringentis , media inter-
 Boream & occidentem plaga à Pe-
 kino leucis constitisse , à Sinis nun-
 trium expectantes , quousque ire de-
 berent ;

berent; at illa Pekimensis decretis ad
 ipsam usq; Selingham mittere Lega-
 tōs plena vicissim potestate instru-
 etos, primarios viros; quorum prior
 dignitate praefecto prætorii, & cubi-
 culi primicerio respondet, ideinq; &
 inter collistii est primores; ille ipse
 scilicet cui post DEUM maximè de-
 betur restitutio Ecclesiarum, discussa
 persecutione. quā excitaverat Yam-
 tynamstūm. Alter est Sinensis natione,
 sed Tartarica civitate donatus, avun-
 culus imperatoris, quibus complures
 Mandarini insignes; ingēnsque co-
 mitatus adjunctus est; placuitque ut
 Pererius & Gerbillonius cum illis
 frent interpretum inlunetè funeturi,
 multoq; honore culti, & communi-
 tabula cum avunculo Imperatoris
 usuri. Nam ex literis Moscorum
 semper latinam versionem adjun-
 tam habentibus constabat; esse in
 illorum Legatione, qui linguam lati-
 nam collerent. Hoc iter quatudē
 mensium fuit, ita difficile & aspe-
 tum per deserta, ut Gerbillonius p̄
 ipso


ipso iudicium jocumque esse dicat quicquid ex Gallia ad Pekinum usque molestiarum pertulerit. Cum vero res illa vice confecta non fuisset, Legati rursus convenere anno 1689. in urbe Nipchou ditionis itidem Moschicæ sub Meridiano Pekini aut potius paulo orientaliore sita, trecantisque à Pekino leucis in septentrionem remota, ubi iidem patres iterum affuere. Iter 49. dierum fuit, & mensis circiter tractatibus insumtus. Legati Sinenses, & cum ipsis Patres, terra ire, sed maxima comitatus pars navigio subiecta est adverso flumine, quod Tartari vocant Sagalien Oula (fluvium nigrum,) qui 70. leucarum cursu ab occidente ad orientem tendens semperque navigabilis tandem, mergitur in Oceano Orientali ad 46. latitudinis gradum ex opposito septentrionalioris Japaniae partis, aut paulo superius. Necio an idem cum fluvio Schingal in Tabula Witseniana, qui tamen aliquot gradibus septentrionalior illic com-

comparet cum cætera respondeant.
 Totus comitatus hominum octo
 aut novem millium fuit, in quibus
 tria militum millia. Mandarini cen-
 tum quinquaginta, equi supra 12000.
 Camelorum 3000. tormenta bellica
 50. Mosci numero inferiores, splen-
 dore tamen & pompa non cedebant.
 Tandem multis ultiro citroque agi-
 tatis pax conclusa est, & jurata ab
 utraque parte in ipsa Ecclesia quam
 habent Mosci in urbe Nipheou tertia
 die Septembbris anni 1689. biduo tri-
 duove ante discessum jam constitu-
 tum, quo tempore Gerbillonius lite-
 ras ad amicos in Gallia scripsit. Lega-
 tisque Moscorum perferendas credi-
 dit quæ deinde ex Aula Serenissimi
 & Potentissimi Electoris Branden-
 burgici, beneficio insignium Vi-
 torum ad me pervenere, cum Dn.
 Reyerus Prussici Regiminis Consi-
 alarius Dn. Cunæo Secretario
 status & hic mihi com-
 municasset.

FINIS.



ICON
REGIA
MONAR-
CHÆ SINARVM
NVNC REGNANTIS.
EX
GALLICO
VERSA.



ANNO M DC XCLX.

Bayerische
Landesbibliothek
München



LECTORI BENEVOLO SALU- TEM.

HAnc Icona Mo-
narchæ Sinensi-
um nunc regnantis e-
leganti non animi mi-
nus & corporis, qvàm
rerum gestarum deli-
neatione, Gallicè à R.
P. JOACHIMO BOUVETO
ex Societate Jesu de-

scriptam, edere placuit & Novissimis Sinicis recudendis addere, versione ejus latina ab amico perdocto impetrata.

Bouvetus inter quinque Jesuitas Gallos fuit, qui titulo Mathematicorum Regionum in Sinas penetrauerant, & inde nuper redux hunc libellum

emi-

emisit, aliorumque ex-
gregiorum operum
spem literis humanis-
simis ad G. G. L. 18.
Octobris anni Superi-
oris ex Fontebella-
qveo datis fecit, qvi-
bus Historia naturalis
Sinica illustrabitur.
Librum etiam Herba-
rium ex illa gente in
Regiam bibliothecam
intulit, cuius praefatio

)3(ma-

(o)
materiam medicam
adumbrans prodi-
ra est. Nunc in mari
est ut redeat ad Sinas,
qvibus supplementa
Missionariorum Sui
ordinis adducit & an-
tequam solveret lite-
ris ex portu Rupella-
no datis liberaliter
promisit qvæcunqve
conferre poterit ad
scientias artesq; Sinen-
sium

ſum reciprocō officio in Europam transferendas, qvem admodum illis communicat noſtras. Utrumq; ut faciat, & in primis ut Religionis Christianæ incrementis operam rite navet, faustum illi & felix iter precamur.

Cæterum ſi qvis forte putabit autorem res Gallicas ita extollere,

ut alios deprimere videatur, quam nonnullorum querelam fuisse comperimus; cogitabit nostrum non fuisse judicium nobis sumere vel opus alienum mutare aut mutilare. Suffecerit Sinensis, de quibus agitur, rite esse prodita, quod cur credamus, omnia svadent. Hoc autem ad-


(o)

admissō, fatendum est
ēre fuisse ut percrebe-
sceret libellus exemplar
nō nobis proponens
principis pene incom-
parabilis, qvō nescio
an majus dare munus
fata mortalibus pos-
sint. In hunc certe
omnes pene dotes
confluxisse dicuntur
qvas natura potest
conferre in hominem.

)5(for-

fortuna in Regem. Ha-
bebunt ipsi Europæi
Principes, in qvem in-
tueantur, & indignum
generositate sua puta-
bunt à Tartaro virtu-
te sapientiaqve vinci.
Qvod si tam præclaræ
& rebus humanis pro-
ficiæ æmulationis
occasione aliquid
præbere hac no-
stra

stra possint, satis nobis
videmur operæ pre-
tium fecisse.



REGI

विनाशक विनाशक
विनाशक विनाशक
विनाशक



लिखा



REGI CHRISTIA- NISSIMO.

Audeo Tibi offerre; Domine, descriptionem morum Imperatoris Sinici, rem certe inter eas, quæ ex Oriente adhuc allatae sunt, rarissimam. Neque remotæ vel ætatis vel regionis annales facile quicquam habent, quod Tuo, ausim dicere, studio & cognitione fit dignius. Est enim, (quod huic rei probandæ dixisse satis est) imago Monarchæ, cui contigit ad tuam multis ex partibus accedere similitudinem, qui que adeo tantum præstat Regibus paganis, quantum Ludovicus Magnus Christianis.

Jesuitæ, quos Majestas Tua ad eum misit, obstupuere, cum in extremis orbis terræ finibus reperirent, quæ extra Franciam adhuc viderat nemo,
(A) * id est,

id est, Principem, qui æquè ac Tu-
Domine, cum ingenio sublimi & so-
lido animum conjunxit imperio ma-
jorem: qui sui nonminus ac subiecti
populi est potens: quem æqui adorant
Cives & exteri venerantur: qui quan-
tacunque gloriâ magna ausa perfici-
at, plus virtutis ac prudentiæ quam
felicitatis exhibet: Princeps, verbo,
qui cum magnas dotes, quibus He-
roes censemur, in se uno copulave-
rit, Regum esset omnis ævi maxi-
mus, nisi in Majestatis Tuæ tempora
regnum ejus incideret.

Implicitus quamvis infelicis Eth-
nicismi tenebris & expers excellentis
illius prærogativæ, sine qua reliquæ
dotes regiæ nihil habent veri nec soli-
di: eam tamen sibi quodammodo
conciliare videri potest, & summo,
quod illi ponit pretio, & magno.
quod ex nostra illius illustratione ca-
pit, gaudio, & certa, quam vita ejus
tantum non Christiana præbet, spe,
fore, ut Numen his quoque meritis
eum beare dignetur.

Exoptata enim illa propensio,
quam

quam Deus *beneficio bonarum artium & scientiarum* illius animo indit, ut mirifice veræ Religioni favat, felix nobis augurium est, fore ut in Sinarum regno sit eversor Idolatriæ, Tuæque adeò Majestati magis magisque fiat similis, quæ præcipue sibi gloriæ duxit extinguere Hæresin in regno suo & Religionem per omnem terram propagare.

Proh! quanta seculi Tui felicitas, Domine, si, quemadmodum artes & scientiæ nostræ, Majestatis Tuæ præsidio ad summum fastigium evectæ, Sinarum Imperatori inspirarunt sanctæ nostræ fidei amorem: Ita & Sinenses agnoscere facerent, quanto potentius sit Evangelium vanâ illorum Philosophiâ, & illos cum Rege suo ad idem amplectendum adducerent, abjecto fastu Genti insito, quæ satis oculata sibi videbatur, ut aliæ omnes lumen ab ipsa mutuarentur.

Accipe interea non exiguae spei pignora, quam affert magni hujus Principis historia primis lineis adumbrata. Unum id vereor, Domine,

(A 2) * ne

ne penicillus artificis exemplari de-roget. Id vero affirmare possum, du-cus hujus Imaginis, et si minus subtiliter expressos, non tamen abire à vero: nec ita oculos nostros præstrictos esse benigno, qui ad hunc Monarcham nobis patuit, aditu, ut nullam rationem habeamus & veritatis & Majestatis Tuæ, in eo maxime argumento, in quo res Evangelii vertitur, quam Tuam esse existimas.

Imperator qui hodie rerum potitur apud Sinas & magna in parte Tartariæ, appellatur CANG-HII, quod interpretantur *Pacificum*.

Fili⁹ est & successor CHUN-TCHI, Principis Tartarici è stirpe vel Gente Mantcheou, quæ ex Tartaria Orientali profecta in Provincia Leaotong ad ortum æstivum Sinarum sita primum consedit, & deinde medio hoc seculo latissimum hoc imperium occupavit.

Agit Princeps ille hoc tempore annum ætatis quartum & quadragesimum, regni vero tricesimum sextum. Nihil in eo conspicitur, quin dignum

dignum regio folio videatur. Forma est prorsus Imperatoriâ, staturâ corporis benè compositâ & mediocrem excedente, ductus oris teretes sunt & rotundi, oculi acuti & maiores quam vulgò gentis suæ, nasus ferme aquilinus & in fine incurvatus, nec relicta è morbo pustularum vestigia quicquam detrahunt venustati, quæ ex tota ejus specie elucet.

At multò pulchriores sunt in hoc
Principe animi dotes quam corporis.
Longè optimâ indole natus est. In-
genium ei vividum & acutum, me-
moria felix, mens vasta & immensa,
robur animi cuicunque casui par, &
æque aggrediendis quam perficien-
dis magnis rebus aptum. Studia ejus
prospera nobilia & Rege digna: Gen-
tes ei subjectæ satis mirari non pos-
sunt, quanto amore & æquitatis &
justitiæ teneatur, quam paterna cura
populum suum complectatur, quan-
toperè in virtutem feratur, non mi-
nus rationi obtemperans quam ap-
petitui imperans. Nec minore ad-
miratione implentur qui Regem tan-
(A 3)* tum

(A 3)* tum

tum tam occupatum, animadvertunt tantopere & deditum studiis doctrinarum & cuiusvis bonæ artis intelligentem.

Quæ dotes in puerō celeriter animadversæ Imperatorem Parentem ejus adduxere, ut hunc infirmâ quamvis ætate, reliquis fratribus præteritis successorem diceret. Quod Patris de se judicium suâ mox virtute comprobavit. Simul ac enim regnum iniit, id sibi curæ habuit & studio, ut utrique nationi, cui imperabat, placeret; & bellica studia sectatus, quæ Tartari plurimi faciunt, & in artes ac scientias incumbens, in quibus summam laudis Sinenses ponunt. Quantum ad ea studia quibus corpus exercetur & agile redditur, attinet; in iis brevitatem profecit, ut Procerum nemo eum posset æquiparare.

Tartari, qui vires non minus quam agilitatem & soleritiam suspiciunt, summa voluptate spectant, nullum in Principis sui comitatu esse, qui arcum ejus tendere dexteriusve tractare possit. Eo petit non minus certò

læva

læva quam dextra, eques quam pedes currens quam stans: nec frustrà ferè telum mittit, seu sedeat avis seu volet.

Cujuscunque generis arma tractare didicit, etiam ea quorum vix ullus hodie est usus. Bombardis certe nostris æque commodè utitur ac arcu & manubalista. Etsi Tartari ad equitandum videntur nati factique, est tamen & in hac arte Princeps præaliis conspicuus. In equo hæret egregiè, & cursu in primis valet, non in planis modo locis sed & montanis & asperis, sive ascendat sive descendat.

Hæc armorum & bellicorum studiorum tractatio non obstat, quo minus artis Musicæ studio capiatur. In quo Europæorum rationem magni facit, quorum in illa arte principia, methodum & instrumenta probat. Quod si per regias occupationes liceret, ut ad illas relaxations frequenter se demitteret, non minus facile & exactè nostris fidibus caneret, quam Sinensium & Tartarorum, qui bus à pueritia assuevit.

Verum uti ars regnandi præcipua
(A 4)* dos

dos est Regis, ita præcipuo illam stu-
 dio est prosecutus. Natus annos non
 amplius quindecim aut sedecim didi-
 cit, primum Regni Administrum,
 qui è quatuor Regni Gubernatori-
 bus, Ipso minore, à Patre constitutis
 plurimum poterat, sic abuti poten-
 tiâ suâ, ut principes Regii sanguinis,
 omnesque curias supremas in ordi-
 nem redigeret, nec quisquam esset,
 qui contra eum hiscere auderet. At A-
 dolescenti Imperatori id animi fuit,
 ut de hoc Administro capiendo ipse
 consilium caperet. Accitis itaque
 Principibus cognatis, qui erant de
 consilio imperatorio, exprobavit i-
 gnaviam, qua illius hominis in Rep.
 gerenda injustitiam pertulissent, nec
 de illa reprimenda vel cogitasent, vel
 se admonuisserent, Præsidemq; con-
 sili; confessim ire jus sit ad hominem
 comprehendendum. Quo facto judi-
 cium instrui curavit, convictumque
 multorum criminum capit is damna-
 vit. Sed cum in conspectum ejus ad-
 missus reus, pectore denudato cica-
 trices vulnerum ostendisset, quibus
 acce-

acceptis vitam Imperatoris avi * TAI-TSOU conservaverat , ob ista vulnera & merita de duobus prioribus Regibus vitam illi condonavit, & capitale supplicium cum perpetuo carcere commutavit, in quo minister ille vitam posuit.

Ex eo tempore Imperator ipse gubernacula Imperii capessivit , eaque tanta solicitudine & vigilantia temperavit, ut de negotiis omnibus cognosceret, & percepta consilii sui sententia ipse statueret. Unde tantam est assecutus Reip. administrandæ facultatem, ut moderatio diversissimorum, quæ in tam vasto imperio occurrunt, & ad Imperatorem , modo alicujus momenti sint, referuntur omnia, negotiorum nil nisi ludus jocusque illi videatur. Quotidie , cum illucescit, Curias supremas Pekinenses ad se admittit, quarum capita cum Collegiatim eum adeunt, libellos supplices illi
 (A 5)* porri-

* Princeps ille Pater erat Chun-tchi Sinarum domitoris, & ultra murum illum qui Tartarium à Sinis dirimit, in provincia Lao-tong imperium obtinebat.

porrigunt. Graviora negotia priusquam definiat, ad tribunal Co-lao hoce est, consilium status seu imperii rejicit; quod, re expensa & delibera-ta, rationem Imperatori reddit, sen-tentiamque suam scripto exponit. Quo facto Imperator, quæ videntur solus decernit. Neque enim ullius Collegii, ne quidem consilii status seu Imperii, decretum tenet, nisi ab Imperatore fuerit confirmatum.

Præter matutinum illud tempus, quo aditus ad Imperatorem patet, re-liquo toto die certus quidam homo prudens & exercitatus præstolatur eos, qui vel libellös supplices Im-pe-ratori offerre, vel eidem aliquid nun-ciare volunt. Quorum desideria sta-tim ad Imperatorem defert, & respon-sum ab eo refert: modo ii sint, quibus liceat edocere Imperatorem. alii enim non audiuntur,

Quoties Imperator è Regia sua prodit advenandum vel aliorum, si quis à Magistratibus oppressus querelam adeum in via deferre opemque Principis adversus illorum vim cupit

**implorare : is in genua procumbens
haud procul via , qua Imperator est
transitus, confidet, libellum aper-
tum manibus sublatis tenens. Quo a-
nimadverso fidum è comitatu suo
Ministrum Imperator mittit, qui ex-
quirat negotii rationem, & cum ope-
ræ pretium videtur , in illud inqui-
rat. Quod si culpa reperitur in Magi-
stratu , severè in eum animadvertisit.
Quin & solerter æstimare novit, num
quis infensi animi studio abreptus, an
jure & necessitate adductus ad se hoc
modo configiat. Inter cætera hac
sæpe ratione haud falso usus est. In-
spicit, quo vultu & modo sese adeant.
Si qui ejus cultus & venerationis sunt
memores, quæ Majestati suæ debe-
tur, & in loco mediocriter remoto
procumbentes in genua cum libello
supplice manibus elato submissè
commorantur; eos placide audit. At
qui velut ex insidiis haud procul via,
simul ac transit, prorumpunt, eos ne-
gligit: multò minus illos audit, qui à
satellitibus, quò minus accedant pro-
hibiti, in clamores erumpunt, & alta
voce**

voce Justitiam Principis invocant. Usu enim Princeps edoctus est, hujusmodi homines turbulento animi motu ferè impelli. Neque tamen quenquam ob preces sibi oblatas inclementius haberi permittit, modò ne in Majestatem ejus gravius peccet. Quo pacto integrum cuique est ad Principem perfugium, & Magistratus retinentur in officio, metu ne quis hujusmodi libellos in se offerat. Et certe vidimus, è Magistratibus præcipuos, & quidem eos, qui circa Imperatorem erant, & loco motos, & pro modo culpæ graviter punitos.

Imperator non modo nunquam gratosum habuit Administram, cui in se permiserit imperium, sed ita se ipse regit & per se imperat, ut nemo sit in toto imperio, qui alicujus negotii mentionem injicere audeat, nisi ejus cura illi sit demandata, aut sententiam rogetur. Præterea Imperator ipse secreti adeo est tenax, & in consiliis tam occultus, ut quo quis proprius ad eum accedit, eo magis intelligat, quam arduum sit in illa se penetrare.

trare. Consuevit de quovis negotio paulò majoris momenti plurim requirere sententias & testimonia, ipse quidem per varios homines occulte, dum tribunalia in eadem inquirunt publicè. Privatos cum admittit, plurimum ex iis querit, raro, quid sentiat, statim profitetur. Quæcunque fibi dicuntur, audit & deinde per otium expendit. Vix invenies Principem, qui diligentius de iis cogitet, quæ vidit audivitque : qui melius cum opus est, animi sensa dissimulet, & qui arcano lingvæque suæ magis moderari possit.

Memoria pollet tam felici, ut negotiorum singula vel semel cum aliqua animi attentione audita, quin & nomina eorum, quos in transitu vidit, animo suo infixa servet, ut nec multitudo negotiorum, quæ per se cognoscit, nec temporis lapsus ea memoriæ illius subtrahat. Quod ipsi saepe experti sumus, æquè ac Pater Verbiestius, cui in hoc genere res accidit valde singularis. In quodam itinere comes Imperatoris ab eo rogabatur,

quo-

quomodo patria lingua appellaret a-
vem quandam, quam forte videbat,
& cuius nomen Belgicum Verbiesti-
us olim illi indicaverat. Hic qui pa-
triæ lingvæ ferè oblitus erat, hæsi-
bat, nec nominis haud adeò obvii re-
cordabatur. At Imperator id mox
pronunciabat, rogans an idipsum es-
set, majorem relinquens in animo
Verbiestii admirationem, quod Prin-
ceps ejus vocis meminisset, quam
quod se ejus cepisset oblivio.

Ea porro Princeps est perspicacia,
ut statim illi suboleat, siqvid facti ad
eum afferas. Natura eum dotavit
sensu communi & judicio tam solido,
ut in rebus dubiis nunquam non me-
liorem æquioremque partem eligat.
Quare prudentissimi Confiliiorum
ultrò fatentur, rerum successum poti-
us deberi illius mandatis qvam suæ
solertiæ. Memorabili exemplo fuere
& controversiæ cum Moscovitis &
pax cum iis conclusa. Cum natio illa
sit paulò rudior, & ita cum aliis agere
soleat, ut benevolentiam atqve exi-
stimationem non ita facile sibi com-
paret:

paret: regio porro illa tam sit à Pe-
Kingia remota , ut vires gentis vel
minimè timeantur , vel etiam con-
temnantur: ideo prima legatio, qvæ
ad hanc Aulam CHUN-TCHI hujus
Imperatoris Patre imperante ex ea
gentevenit , ne quidem audita est.

Simulac verò intelligebatur , lega-
tos demissum illum cultum præstare
nolle , qui , pro more hujus Aulæ ab
omnibus , qui Imperatorem salutant,
exigitur: coacti sunt cum literis &
donis quæ attulerant, domum rever-
ti, postquam satis diu inclusi nec po-
tentatem habuerant urbis visendæ, nec
cum quoquam colloquendi. Unde
natum est bellum, qvod Mosci Tarta-
rorum quibusdam nationibus intu-
lerunt, Imperatori Sinarum subjectis.

Hodiernus Imperator , etsi non
magis ac Pater causas habet timendi
Moscovitas : cum tamen illi populis
fuis, qui ad illorum fines accedunt,
graves esse possint, visum est ei mo-
deratius illos tractare , qvotiescun-
que nasceretur occasio , ut populi sui
otio consulat.

Qua-

Qualem ante aliquot annos oblatam elabi minimè est passus. Arcem à Moscovitis in finibus Tartariæ exstructam oppugnando adegerat, ut sine exceptione se dederet. Tantum verò abfuit, ut pro barbara consuetudine illarum regionum præsidiarios ditione captos trucidari pateretur, ut eos potius benignè haberet: quos cunque tenebat cupido redeundi in patriam, incolumes dato viatico dimittebat, qui verò ad sua signata transire non recusabant, eorum partem in metropoli provinciæ Leao-tong, partim in regia PeKing per hospitia distribuebat, singulis ædes, agros, mancipia donans, & qui pedites militaverant, in equestrem militiam transferens, præfectis eundem gradum honoris, quem in Moscovitico exercitu tenuerant, conservans, & stipendum augens.

Legatos quoque Moscoviticos, qui deinceps in aulam ejus missi sunt, humanissimè benignissimeq; tractavit locum, lautia, sumptum quo ad in regni sui finibus egerunt, præbuit, nec illis quic-

quicquam eorum deesse est passus,
quæ ad iter per trecenta milliaria
(qvot Pekingia à finibus Moscovitici
imperii distat) eundo redeundoque
conficiendum facerent.

Exactissime quoque prospexit, ut
quas secum attulerant merces, in ma-
gna illa regia commodissime facilli-
mèque distraherent, immunes à ve-
ctigalibus & vexationibus publica-
norum , in eum maxime finem , ut
cum ex hac negotiatione plurimum
lucri facerent, pacem inter utrumque
imperium eò diligentius custodirent.

Et sane fas si sunt legati Moscovitici
Pereiræ & Gerbillonio Jesuitis , qui
paci tractandæ jusu Imperatoris in-
tererant, Heros suos Czares adductos
esse ad ineundos Pacis tractatus, limi-
tesque utriusque imperii regundos,
illa maxime benevolentia , qua SINAT-
RUM Imperator Moscovitas excepe-
rat. Apud Sinenses vero unus Impe-
rator , summo jure suo usus , in consi-
lio decerni fecerat, ut ex Aula sua Le-
gati cum libera potestate ad fines Mo-
scovicos mitterentur , qui cum Mo-

(B) * scoviti-

scoviticis eò jam delatis congrederentur: repudiatâ superbâ illa Sinen-sium confuetudine, qua nunquam ad exteror Principes legatos mittunt, nisi qui Imperatoris sui iussa ad eos deferant.

Quin capita legationis delegit duos Aulæ proceres, maximæ dignationis, quibus plurimum confidebat, quiq; in consilio Principis usu & prudentiâ præminebant. Nec eo deterrebatur, quod priori anno res parum succeſſerat, quo minus alterâ vice eodem illos mitteret cum hujusmodi mandatis, ut pax tandem fuerit confecta, limesque utriusque imperii definitus, quibus conditionibus voluerat. Qvod si vero inhærere voluisset moribus Sinen-sium, eodemq;e cum Moscoviti-cis fastu egisset, quo primâ vice in hac aula excepti erant: periculum erat, ne Moscovitæ contractâ cum Tarta-ris occidentalibus societate fines Imperii paulo gravius infestarent.

Neque soli Moscovitæ (ut istud ad-moniti hoc loco adjiciamus, rerum tamen narrandarum ordine non inter rupto)

rupto) ex peregrinis sibi gratulari possunt de humanitate Imperatoris Sinici: verum eadem animi magnitudine, quæ à natura sibi est insita, Imperator comiter honesteque tractavit legatos Batavorum & Lusitanorum, cum in aulam ipsius venerunt. Quia in re sensus ejus valde discrepat à sensu moribusque Sinensium, qui peregrinos omnes usque adeo despiciunt, ut omni secum commercio habeant indignos: aut, si forte legatos eorum admittunt, non aliter id faciunt, quam ut Imperatori suo obsequium cultumque exhibeant. Fatendum quidem, præter Japonenses, Tunkienses & Coreanos, qui Sinensibus acceptum ferunt, quicquid in iis doctrinâ moribusque expolitum est, reliquos eorum vicinos esse populos feros atque agrestes.

Verum Imperator hodiernus, qui longè supra vulgus sapit, dudum intellexit præjudicatam illam Sinensem de peregrinis opinionem esse falsam & erroneam. Quicquid à Jesuitis accepit de Regnis Europæis alia-

(B 2)* rumque

rumque orbis terræ partium populis, tum pulcherrima artis opera, quæ a liunde variis temporibus ad eum sub inde sunt delata , in primis vero eximia, qua imbutus est , cognitio artium & scientiarum nostrarum facile illi fidem fecerē, non solos esse Sinen ses qui artium & scientiarium culturâ floreant atque excellant. Quod ex parte in causa fuit, ut præter iniquissimum gentis morem , Legatis Bata vorum, Lusitanorum & Moscovitarum tantum honoris haberet & bene volentiæ ostenderet : quanquam negotia, quorum gratiâ venerant, curiis supremis secundum imperii con suetudinem transfigenda permitte bat.

Sed magni hujus Principis sapientia & vis animi ingeniique quanta sit, nunquam clarius apparuit, quam in sedandis motibus, qui ipso regnante subinde sunt coorti. Primus isque notissimus erat famosi illius Ou-Sangouei , qui cum Tartaros in Sinarum Regnum adduxisset, & præmii loco ab Imperatoris hujus patre Regulus

gulus alicujus Provinciæ effet constitutus, sub finem vitæ contra Tartaros seditionem excitare decrevit.

Iam dimidium Regnum Sinarum nullo repugnante in ditionem redegerat, & miraculo erat simile, quod non integri fuerit potitus, Sinensibus in partes ejus cœco impetu ruentibus, & Tartaris ob paucitatem tuendo imperio quæsito imparibus. Sed qvod viribus deerat, citò supplevit prudentia & sapientia Imperatoris quamvis Juvenis, qui tum non major erat viginti annis.

Et certe Princeps hic , qui jam tum incredibili studio & vigilantiâ curam ipse imperii atque administrationem gerebat, rebus omnibus tam providè & tempestivè prospexit, Provincia rumque & urbium majorum Præfides Ducesque è Sinensibus militares tantâ arte tractavit, ut non solum in obsequio retineret , qui nondum ad Ou-Sanguejum defecerant , sed & multos , qui partes illius sequebantur, ad officium revocaret. Qvod his temporibus non ipse in acie stetit,nec

exercitui præfuit, factum est illorum monitis, qui demonstrabant eum sine periculo Pekingia discedere non posse, ut Provincias septentrionales in fide rerineret, & factionibus ac conjurationibus occurreret, quæ in ipsa regia in dies coibant, multoque plus periculi denunciabant, quam omnes Oufangueji copiæ.

Denique in illa quamvis juvenili ætate Imperator ea præstitit, quæ à Principe regnandi vetere expectari poterant. Dies noctesque infatigabili labore impendit in publicas deliberationes, edicta & iussa ad omnem eventum accommodanda, seque certiorem fieri curavit de omni conatu & successu hujus seditionis, quæ tantò erat pericolosior, quod ex ea plures aliæ factiones propullularent, quas omnes sapienti consilio & industriâ extinxit atque oppresit.

Ex qvibus factionibus prior eru-
pit conspiratio mancipiorum Pekin-
gensium, qvi cum essent origine Si-
nenfes, inter se convenerant de Tar-
taris heris suis unâ nocte trucidandis,
& urbe

& urbe qvatuor in partibus incendâ ut qui manus suas effugerent, per tumultum confici possent. Verum hac conjuratione, paucis diebus priusquam perficienda erat detectâ, cum tot essent delicti complices, ut alter alterum ignoraret, Imperator periculosisimæ factioi ita ivit obviam, ut eam paucis dieb⁹ omnem dissiparet, Autoribus capitali statim affectis supplicio, & reliquis communi amnestiâ conservatis.

Hanc conjurationem excepit rebellio Regum Cantoniæ & Fokieni, qvi à Sinensibus oriundi invitante occasione, cum res Tartarica seditione Oufangveji in magnam perturbationem esset coniecta, & ipsi jugum excutere, liberumque in sua quisque provincia imperium affectare cœperunt.

Eodem tempore defecit alius Rex è stirpe Mongo, caput familiæ illius Principalis, qvæ ab Imperatoribus Tartariæ occidentalis descendit, qvi abhinc sexcentos annos, ante familiam imperialem Tai-ming, Sinarum
 (B 4)* re-

regnum obtinuerunt, & inde pulsi ex eo tempore in Tartaria rerum potiti sunt, donec anno hujus seculi tricesimo Principes hujus domus discordiâ distraherentur.

Hodierni ergò Imperatoris avus occasionem hanc in commodum suum vertens, omnes alterum post alterum induxit, ut in fidem suam se traderent. Qvin&is qui caput familiæ Imperatoris nomen adhuc sustinebat à subjectis sibi populis adactus est, ut imperium illius subiret. Ut vero jugum illud minus graviter ferret, honore illud mitigatum est, Tartarique Montcheou, post qvam Sinarum regno potiti erant, Regem eum appellaverunt, ut & alios potentiores Principes hujus familiæ Mongo.

Cum ergo qvam maximè arderet seditione trium Regulorum Sinensium, accidit, ut Ministri qvidam illius Principis, qvi caput erat familiæ Regiæ Mongo, Pekingam venirent, qvi cum observarent vix ulla Tartarorum copias illic commorari, portasqve urbis à pueris ferè custodiri, re ad Herum

rum relatâ in illi⁹ animo cupiditatem excitarunt hujus occasionis arripiendæ, ut non modo à dominatu Tartarorum Orientalium in libertatem se vindicaret, sed & imperium Sinarum à Majoribus quondam posse sum, si liceret, recuperaret.

Dum vero fœdera contrahit cum vicinis principibus Mongo, quorum auxiliis indigebat, ut destinata perficeret: Imperator hac con spiratione cognita celeriter è Pekingæ præsidio & provincia Leao-tong Mongois proxima contraxit copias, & hanc quamvis parvam manum nec opinant tam subito immisit, ut nullum illi spatium daret se colligendi, viresque suas aut fœderatorum Principum congregandi. Qvo factum, ut cum tumultuaria manu prælium inire coactus à Tartaris Orientalibus, qui in viscera regni incredibili celeritate pervaferant, fusus fugatusque cum fratre liberisqve vivus in hostium potestate veniret.

Denique toto illo bellorum civilium conflietu Imperator paucis illis,

(B 5)* qvibus

qvibus fidere poterat, copiis, ita omnibus periculis occurrit & prospexit, eaqve prudentia negotiis est moderatus, ut tandem perduelles omnes feliciter oppresserit, qvamvis ultima experiri non dubitasent. Auctores seditionis, etiam qvi in bello qvievabant, capti, & cum liberis omnibus cujuscunqve ætatis ultimo supplicio affecti, secundum severam Sinen-sium consuetudinem, qvæ mortis pœnam irrogat etiam posteris perduellium in nonam usqve generatio-nem, ut tota illorum stirps radicitus deleatur.

Imperator verò, qvi ab omni specie crudelitatis naturā abhorret, prohibuit, ne manus afferrentur nec vitæ nec bonis fratrum Regis Cantoniæ & Fokieni, qvos expertes fuisse noverat illorum consiliorum, quæ seditionem excitaverant. Cum vero cogeretur capitis damnare qvosdam nepotes Oufangoueji tenera ætate, publicè edixit id se invito fieri, & sibi parendum esse legi Imperii & consilio Principum Regii sanguinis omni-
umqve

niumque supremarum Curiarum, qvibus placuerat non esse huic legi derogandum, ut metu maximi inter Sinenses supplicii, quod est sine posteritate decidere, horror perduellionis fanciatur.

Sic ergo Imperator non solum recuperavit omnes provincias, quæ defecerant, sed & cum regno conjunxit eas, qvæ regni titulo erant traditæ tribus Sinensium Ducibus, eo qvod ad signa Tartarorum transferant, eosque in perdomandis Sinis plurimum adjuverant. Qvin & ea usus est felicitate, ut reliquias veterum Sinensium extirparet, qvi seqvi maluerant partes famosi Piratae Coccesindi, qvam ut Tartarici dominatus jugum subirent. Is Pirata parum abfuit, qvin totius imperii potiretur. Instructissimo exercitu succinctus ad urbem Nan-King accesserat, qvam sine dubio expugnasset, nisi fortissimus Dux Tartarorum in ea summam imperii militaris tenuisset. Is cum intelligeret totius imperii salutem ab unius urbis fortuna pendere, oppugnatio-

nem

nem parvo qvamvis præsidio munitus strenue sustinuit, & Piratam denique cum omni milite suo diei natalis sui celebratione vino somnoqve obrutum oppressit.

Hic est idem ille Pirata, qvi post qvam omnem fere exercitum illo tempore amiserat, in Formosam Insulam Batavis ereptam se recepit. Cui filius in hujus insulæ imperio succedit, donec eum Imperator hodiernus armis cogeret, ut se potestati ac imperio ejus subjiceret cum omni factione sua, paucissimis exceptis, qvi in regnum Camboyæ secesserunt. Quare haud vanè affirmari potest, Imperatorem Cang-hii plus gloriæ i perisse periculosis illis seditionibus repressis, & imperio Sinico adversus tot hostes integro conservato, qvam avunculus ejus & tutor parentis sui famosus ille Amavang subacto hoc imperio sibi qvæsivit. Nam, si rete rem reputes, non multi laboris erat hujus imperij occupatio, cum Sinenses inter se divisi se ipsi everterent & illorum fortissimi pro Tartaris pugnarent.

Ex-

Extinguis bellis civilibus, paceqve
imperio reddita, in id incubuit Imper-
ator, ut Rempubl. componeret at-
qve ordinaret, qvæ per licentiam bel-
li invaluerant vitia, emendaret, legi-
bus autoritatem, provinciis securita-
tem atqve abundantiam restitueret.
Cui fini asseqvendo cum nihil magis
conducat, qvam honores & Magistra-
tus tam in aula qvam in provinciis
non nisi iis demandare, qvorum pru-
dentia, fides atqve integritas perspe-
cta est: id qvoqve præcipuo fibi stu-
dio habet Imperator, ut & idoneos
deligat, &, qvos constituit, in officio
retineat.

Et sane gubernatio Sinensis est
prorsus Monarchica, & ad unum o-
mnia referuntur. Inferiores Magi-
stratus prorsus pendent à superiori-
bus: in urbe est Præfectus, penes
qvem unum vis ac potestas est de o-
mnibus rebus urbanis statuendi, in
provincia Præses Regisve Vicarius.
Qvæ ratio gubernandi Rempubl. uti
in se est plane perfecta, reqvirit Præ-
fectos urbibus Præsidesqve provin-
ciarum

ciarum, qvibus credita est Principis autoritas, spectatæ fidei & incorruptæ integritatis, neqvid gratiæ dent, vel pecunia se corrumpi patiantur.

Dicinon potest, qvanta cura & solicitudine versetur Imperator in Magistratibus majoribus præcipue Provinciarum Præsidibus diligendis qvantaqve industria in illorum vitam & actiones inspiciat. Non acqviescit in illis, qvæ de Candidatis munerum publicorum suprema curia Magistratum affert & docet: ipse clam per fidos homines de iis inquirit, Ipse illos interrogat, & sæpe alios constituit, qvam qvos curia nominaverat, nullam habens nisi virtutis rationem. Cum incidit in virtutem haud vulgarem, eam qvoqve haud vulgariter tractat. Neqve eum solum ad summas dignitates evehit, sed & honoribus & beneficiis extra ordinem publice afficit. Contra ea, levisimus error in publica functione admissus, simulac Imperatori innotuit, sufficit, ut qvis Magistratus amoveatur:

tur: cuius vero fordēs arguuntur, ei, qvisqvis fuerit, non solum non indulget Imperator, sed postqvam ejus causa judicio cognita atque disceptata est, eum sine spe veniae loco movet, graviterque pro modo delicti punit.

Hinc proficiscitur illa vicissitudo & crebra mutatio majorum æqvæ ac minorum Magistratum, qvos sibi invicem in hoc imperio succedere videamus. Qvæ qvidem tanta est, ut qvatuor prioribus annis, qvibus PeKingiæ degimus, viderimus abrogari Magistratum plerisque Præsidibus provinciarum, nec non præsidibus plurimis curiarum PeKingia. Ea enim est Imperator vigilantia, ut qvamvis occulta peccata vix ejus notitiam effugiant.

Vix aulam eramus ingressi, cum vidimus qvatuor ex illis Imperii Ministris, qvos Co-lao vocant, duos Tartaros & duos Sinenses, nec non Præsidem primæ inter sex supremas curiæ, cum sacer esset filii natu maxiimi Imperatoris, præter opinionem gradu suodejici: & cum primum Palati-

latium intrabamus, monstrabatur unus ex illis Ministris, qui inter satellites corporis simplicis instructoris munere fungebatur. Qvò eum Imperator dejecerat, ut eo acerbiorem illi doloris sensum inureret.

Eodem tempore in judicium vocabantur duo aut tres Pro-Reges, quorum unius in vinculis PeKingiam ducebatur, nullo ex familia sua eum prosequente: qui mox repetundarum damnat⁹ ultimum supplicium subiit, reliqvis quorum minor erat culpa, non nisi honore & dignitate exutis.

Seqventi anno Pro-Rex provinciæ TheKiung qui Religioni nostræ in primis adversatus erat, & cum in regnum veneramus, omni conatu laboraverat, ut eo rufus expelleremur, Reip. malè gestæ accusatus, ipso Imperatore pronunciante non solum loco motus, sed & in Tartariam relegatus est, ubi reliquos dies viæ in exilio ageret.

Denique Princeps hanc sibi legem dixit, ne usquam à tramite æquitatis in gubernatione Imperii deflectat,
nec

nec in conferendis honoribus ullam nisi meriti virtutisqve rationem habeat. Unde nunquam fando auditum est, Imperatorem aliud iter vitæ morumque tenuisse, seu gratia seu alia quādam ratione ductum.

Neque solum hac sollicitudine & industria qva in Magistratibus diligendis ac in officio retinendis utitur, amorem approbat, quo populum suum prosequitur: verum etiam singularis ille dolor, quem capit ex publica alicujus provinciæ calamitate satis ostendit, eum probè meminisse, se non magis esse Regem quam patrem populi sui.

Vidimus duobus diversis annis ejus rei testimonia omni exceptione majora. Cum magna siccitas proventum annonæ arctasset, incolas qve qvarundam provinciarum insumas miserias conjecisset: Princeps misericordia tactus non solum provinciis integris remisit tributum annum, hoc est, ad triginta vel quadraginta auri myriades, & horrea publica aperuit: sed & distribui cura-

vit frumentum & argentum iis in locis, quæ præ cæteris cum miseria conflictabantur.

Et quo magis necessitatibus pauperum succurreret, permisit, ut è ditioribus, qui in eo gradu erant poniti, ut Magistratum petere possent, data pecunia iis functionibus admoveantur, quibus facta in illorum prefectus inquisitione pares erant judicati. His ergo imposuit id munera, ut certam frumenti quantitatem illuc deyehi curarent, ubi maxima ejus erat penuria. Cum vero infinitata famelicorum turba Pekingiam confluere, vitæ querens alimenta: Imperator eam rationem iniit, quæ & illorum indigentiam sublevaret, & Reip. consuleret. Adhibuit enim illos instaurandis & reficiendis curiis, in quibus Collegia suprema illius Aulæ congregantur. Quo pacto & victum invenerunt miseri, & à turbis motibusque sunt prohibiti, in quos otiosa miseria est proclivis.

In hac temporum difficultate nullam sibi permisit ne honestissimam
qui-

qvidem oblationem, qvam in du-
abus villis suburbanis nonnunquam
capere consuevit. Qvoad siccitas illa
duravit, pedem Palatio non extulit,
nisi ut cum Aulicis suis in templum
cælo dicatum pro more inter Sinen-
ses. hujusmodi temporibus recepto
proficeretur, ut vero cœli terræq;
Domino pro impetranda pluvia sup-
plicaret. In qvo plus videt plerisque
Sinensium hodie Philosophis, qui in
capitali hoc dogmate à majorum do-
ctrina, æqvè ac in aliis, desciverunt,
cœlum non nisi creatum adorantes,
loco mentis supremæ, qvæ infinita
illud potentia, sapientia & bonitate
regit.

Cum Provincias suas obit Prin-
ceps, qvod subinde facit, ut, qvæ sit
eonditio populi sui, & qvomodo Ma-
gistratus se gerant, cognoscat, blan-
dum se, affabilem atqve communem
præbet, omnibus, etiam opificibus
& rusticis aditum ad se permittens.
Sermonem cum illis jungit ea cle-
mētia, qvæ illorum animos prorsus
capit & demulceret: & inter cætera, qvæ

(C 2)*

ex

ex illis qværit, non solet præterire hanc qvæstionem : num habeant, quæ de Magistratu sibi imposito querantur? Qvod si accipiteum populo esse gravem, minimum illum potestate exuit. Contra ea, nihil est ad Magistratum commendandum aliisque evehendum efficacius, quam si laudetur à populo, & honorifico testimonio ornetur.

Septem fermè anni sunt, cum Imperator ad provincias meridionales profectus transibat magnam urbem provinciæ Nanking, qvæ dicitur Houi-ngang & sedem præbet Tsong-ho, id est, aquarum, fluviorum, aquæ ductuum per totum imperium Curatori summo, in quo munere est dignitas maxima, si à Palatinis officiis discesseris. Is muneris non ex fide gesti accusatus, nuper erat loco motus eiique gravis multa irrogata. Cum vero populus hujus urbis preces pro eo interponeret, & Imperator lecto libello supplici cognosceret, eum totum versari in laude hujus Praefecti; statim sine ulteriori inquisitione

sitione illum in priorem locum, unde dejectus erat, restituit, eo ipso indicans, Magistratus provinciales nulla via rectius in ejus benevolentiam se insinuare posse, qvam si populum ita tractent, ut ab eo parentum loco habeantur.

Qvamvis Sinensitum Imperator sine controversia fit Princeps omnium gentium potentissimus, sive spectes thesauros immensos, qvos possidet, sive divitias & amplitudinem terrarum, qvibus imperat: alienissimus est tamen ab omni luxu in iis, qvæ ad sui cultum proprie pertinent. Qva in re strictè servat legem Imperii, qvæ inter eas refertur, qvibus stat & continetur Monarchia, damnans in potentioribus ipsoqve Principe omnes sumtus maiores, qvi publicè nil profunt. Non qvasi expensæ domus haud multum excedant illas, quæ vel in splendidissimis Aulis Europæ insuntur. Est enim innumerabilis multitudo Ministrorum & hominum, qvi ex Palatio victum & alimenta capiunt: Sed qvòd in iis, qvæ ad unum

Principem referuntur, frugalitas cernitur & modestia, quae caret exemplo. Mensam quidem instructam habet, ut tantum Principem decet, multis va- sis aureis atque argenteis, pro indeole & consuetudine gentis: at in iis, quae consuetudine definita sunt acquisitae, nile exquisiti requirit, contenus ferculis usitatis prorsusque alienus ab omni eo quod vel paulum excedit modum, quippe sobrietati, plus quam credi posse, deditus.

Ambitus Palatii urbem mediocrem æquat & ex numero ac magnitudine ædificiorum, quorum tecta ex tela coloris aurei vernice obducta resplendent oculosq; mire capiunt, facile existimare licet id esse domicilium magni alicujus Principis. Intrinsecus vero ad cœnacula & cubicula quod attinet, etiam quæ Imperator ipse incolit, praeter picturas quasdam & quædam auro ictita & telas sericas sat copiosas, ut quærum usus in Sinis est perulgatus, reliqua nonnisi elegantia & munditie sunt visenda.

Al-

Altero ab urbe Peking a lapide extrui fecit villam seu prædium, quo animi relaxandi causa secedere solet & magna parte anni commorari. Verum si excipias duos crateres, & quosdam alveos effossos, vix quicquam occurrit, quod tam opulentissime Principis magnificentiam referat. Sunt quidem omnia ad elegantiam valde composita: at five ædificia species, five hortos, five soli dispositio nem, concedit certe multis privato rum prædiis, quæ in agro Parisiensis conspiciuntur.

Quin & studium modestiæ elucet ex habitu, & omni ejus supellectile. Nam quantum ad vestem, plerumq; utitur simplici serica adeò communis Sinensibus, ut ea non nisi plebs infima caréat. Per hyemem verò gestat vestes suffultas pellib; muris Sarmatiæ vel mustelæ albæ, quæ & ipsæ in aula illa in communi sunt usu. Cœlo pluvio sœpe operatus incedit lacerna è lana stipata, qui vestitus inter Sinenses habetur vilior. Alio tempore per æstatem vidimus indutum simplici

(C 4)* tuni-

tunica interiori è tela ex quadam urticæ specie contexta , quam vulgas domi gestare solet. Extra dies solenniores, quicquid pretiosi ornat⁹ in eo conspeximus , situm fuit in unione prægrandi , quo ex more Tartarorum per æstatem pilei marginem claudit.

Sella, qua portatur, gestatoria, sive in palatio sive extra illud, cum eqvo non vehitur, est species quædam leæticæ ex mero ligno vernice tincto , quibusdam in partibus laminis cupreis aut opere sculptili è ligno deaurato ornata. Neque aliter ferè comparatum est, cum eqvo vehitur, Omnis splendor in stratis eqvorum, quos concedit, reddit ad stapedes ex ferro eleganter deaurato , & habens freni è serico fulvo confectas.

Denique nihil eorum , quæ circa Principem animadvertis , fastum illum luxumque fapit, quem reliqui Principes Orientis ostentare amant, cum se conspicendos præbent. Apparet sane eum probe perfusum esse, splendorem Principis veramque magnitu-

gnitudinem non tam a pompa extera
na quam virtutum fulgore peti oportet.
Et certe cum auro argentoque
arcæ ejus sint refertæ, cum imperi-
um ejus omni copiarum genere a-
bundet, ipsique Sinenses in omni ar-
tificio, cui se dedunt, industria soler-
tiaque plurimum valeant: qvid faci-
lius foret tantum reliquos Orientis
Principes superare splendore pompæ
quantum ejus imperium illorum re-
gnâ superat opibus & amplitudine?

Verum ut apparet Eum non ava-
rictiæ studio nec sordida parsimonia, in
iis, quæ usui ejus quotidiano serviunt
ab eo abhorrere, quod luxus & pro-
fusionis præfert speciem: tanta li-
beralitate & magnificentia impensas
imperii dispensat, quanta parsimo-
nia privatas restringit. Quoties in eo
versatur publicum commodum, my-
riades imò millions nummorum
parvi facit. Immensos sumptus libera-
liter impendit in ædificia publica, in
fluvios, canales, pontes, navigia ac
hujusmodi res ad usum populi &
commerciorum commoditatem ac-

commodandas. Ex qvo facile judicare licet, qvam in re privata ostendit inutilis sumtus minuendi curam, eam proficisci ex sapienti rei qværendæ tuendæqve peritia, ut argentum servetur in necessarios usus Imperii, cujus non magis Dominus qvam Pater audiri haberiqve optat.

Id qvod illustri documento ostendit abhinc qvinque annos. Miles, qui magno numero PeKingæ in præsidio est collocatus, ita erat sensim obæratus, ut ejus stipendum in usuras pecuniæ creditæ majori ex parte cederet. Qvæ certè culpa fuit militum vel parentum ipsorum. Merent enim magno, & exacto qvoq' mense stipendum ad diem solvit. Præterea cum PeKingiam deducti sunt, ædes agros mancipia dono acceperunt, ut pro conditione sua honeste se exhiberent. Simul ac verò Imperator rescivit, qvo loco res eorum essent, illorum vicem miseratus rationes debiti subduxit, & qvicq' vid eqvites, pedites cum decurionibus debebant, ex ærario solvit, licet ad sedecim libra-

rum

rum millions debitum ascenderet.

Ut verò in posterum huic malo mederetur, vetuit, ne qvis civis vel privatus obligato stipendio pecuniam militi crederet: secus qvi fecisset, ei nullam fore ejus pecuniæ repetitionem. Qvo vero & necesitatibus illorum prospiceretur, constituit, si qvis vere indigeret pecunia, illam ex ærario ei repræsentandam esse ad certam summam, qvæ sensim per partes de stipendio deduceretur, qvo fœnus, qvod Pekiniæ ingens pro pecunia credita exigitur, cessaret.

Eodem ferè tempore docebatur, etiam ex protectorib⁹ corporis qvorū septingenti vel octingenti merent, aliisqu domus suæ ministris plures esse ære alieno obrutos. Jusfit ergò Imperator cuique Protectori corporis sui, qvem Hia vel Mandarinum vocant, qvi solvendo non erat, dari octingentas libras: quadringentas verò minoribus ministris, qvi comitari solent eum iter seu animi causa seu necessariò facientem. Qvam pecuniæ sum-

suffham, qvæ ad duos milliones libra-
rum redibat, ex fisco seu privataram
largitionum thesauro peti voluit, ne-
gans æqvum esse, ut ex Imperii æra-
rio domesticorum suorum debita dis-
olvantur.

Cujus imperatoriae liberalitatis oc-
casione species qvædam seditionis
excitata est ab iis eqvitibus, qui, cum
servi, neqve adeo ære alieno constri-
eti essent, nullam partem beneficij
tulerant. Hujus generis eqvites non
exiguo numero Tartaris militant, qui
ex stipendio, qvod accipiunt, famili-
am ex parte alunt. Horum ergo ad
qvinque millia in Palatio convene-
rant sibi qvoqve beneficia à Principe
petituri. Cum vero nemo esset, qui
preces illorum ad Imperatorem defe-
rendas susciperet, in aula palatiū ritu
supplicum apertis capitibus procum-
bentes in genua diutius perstiterunt.
Tandem cum comperissent Impera-
torem in horto spatiari pone Palati-
um sito, eum omnes circumdedere
alta voce rogantes, ut & sibi aliquod
præmium daretur, qui æque militent

ac

ac cæteri, & non minus vitam suam data occasione exponant. Imperator primum disimulabat se illos audire. Postea certior reddebatur octo audacissimos portam rejecta custodia perfregisse, quos velut autores seditionis statim comprehendendi jusfit, reliquos flagris & fustibus abigi. Qvo pæto globus ille conjurationis momento disjectus est.

Qvo tempore Imperator ostendit, se ferre non posse, ut quisquam honestate sua abutatur, & si amore & benevolentia complectatur milites, sibi non minus esse animi & severitatis ad protervos castigandos. Remisit ergo hos octo seditiosos ad curiam, quæ de criminibus cognoscit, sine mora sententiam ferri jusfit in illos æqvè ac Heros, pro consuetudine Tartarorum, quæ ob delicta servorum heros qvoqve punit, ut eo diligentius illos in officio retineant. Postridie omnes capit is fuere damnati, & heri perpetuo exilio mutati. At Imperator mitigavit sententiam, & in primo autore eam ratam habuit: qvi illo ipso die ante

ante meridiem capite fuit truncatus; ejusque herus, qvi erat è protectoribus corporis, in exilium fuit in extremam Tartariam missus.

Reliqvi septem condemnati fuere, ut centum iætus acciperent fuste, & per tres menses in qvadam turbis porta * jugum collo ferrent.

Heris vero æqve ac reliqvis militibus eorumque præfectis pœnam condonavit, cum hi se ipsi fecissent reos, & porrecto libello supplici culpæ veniam rogassent, qvod conata servorum suorum nec antevertere nec impedire potuissent, nullum interim piaculum huic errori abolendo recusantes. Ita Princeps hic clementiam severitati miscens ut ametur à suis & timeatur efficit, & unumqve que in officio retinere novit.

Sicuti vero à molliori vita prorsus abhorret, nullumque laborem qua-

cunt

* *Jugum Sinensium constat ex duobus axibus ponderosis, qui ubi in medio cœunt, incisi sunt, ut eò arctius collum constringant. Ejus magnitudo in circumferentia est duum pedum, pondus vero sexaginta ad octoginta librarum.*

cunque occasione fugitat: ita nihil eorum intermittit, qvæ Tartaros præsertim impedire possunt, qvo minus deliciis Sinensium corrumpantur. Neqve enim eum fugit, si semel se tradant otio & voluptatibus exemplo Sinensrum, difficulter fore ut conservent imperium, qvod exigua manu qvæsiverunt, cum ipsi laboribus indurati cum mollibus & effeminitatis pugnarent. Qvapropter Imperator pro summa sua rei civilis prudenteria qvam paucissimos Tartaros in provincias meridionales mittit, qui illuc Magistratum munere fungantur, nec qvos eò exigentererum statu misit, diutius ibi commorari sinit. In his enim provinciis potissimum regnat molliies. Hæc qvoqve causa est, cur venationi studeat, & qvotannis semel aut bis iter in montes Tartariæ faciat.

Tum vero miles prætorianus, Auxili, Purpurati, præcipui Duces militiæ cum parte præsidii PeKingani, pleriique judices curiarum, per officiū rationem saltem per vices Imperato-

ratorem proseqvuntur. Qvocunqve
verò pergit, necesse est ut eosdem
qvisqve labores subeat, qvos ipse Im-
perator, qvi semper id agit, ut mini-
me omnium sibi parcere videatur. In
his itineribus veste induitur simplici
viatoria, integrosqve dies in eqvo hæ-
ret, sine intermissione percurrentes
montes & sylvas, arcuqve petens o-
mne genus avium, sic ut uno sæpe die
noyem aut decem eqvos defatiget.
Quin & pedes sæpe diuque ingredi-
tur, cum necesse est.

Vespericūm succedit tentorio, tan-
tum abest, ut quieti se det, ut poti-
us negotiis publicis æqvè vacet ac si
effet PeKingæ. Tum legit libellos
supplices, petitis respondet, atqve o-
mnia definit, nihil in craftinum diffe-
rens, sæpeque in multam noctem vi-
gilans, ut somno detrahatur, qvicqvid
venationis studio tribuit temporis.
De cætero hanc vitam dicit non per
qvatuor aut qvinq̄ dies, sed per duos
tresve menses continuos, vix unum
aut duos dies interponens, qvibus se
reficiat.

Ger-

Gerullonius quem frequentius cæteris Jesuitis sibi comitem asciscit, saepe eum vidit pulvere ac sudore obfatum persequevi venationem , donec perveniret , quo destinaverat , ita ut ne curaret quidem mutare vestem . Alio tempore eum vidit pluribus horis Solis ardori ferventissimo expositum federe , repudiante umbellæ usum , quarum plures in supellectile regia circumferebantur.

Ex alio Jesuita accepi , Imperatorem in quodam itinere , quod ille unâ fecerat , longius à PeKingia discessisse in ea loca , quò ægre commeatus recens afferri poterat , sic ut omnes ferè sola bubula & ovilla , cuius copia in solo Tartarico nunquam deest , vesci cogerentur . Imperator , ne mollius se atque delicatus curare videatur , iussit sibi apponi non nisi duo illa ciborum genera , donec & ad comitatum suum annona lautior deferretur .

Ex quo fit , ut singulari eos benevolentia prosequuntur , quos videt labores libenter tolerare , nec sibi , cum

(D)*

tem-

tempus & res postulat, parcere. Contra ea illis ægre facere consuevit, qvos nimis sibi indulgere, & unicē, qvæ sibi commoda sunt, respicere animadvertisit. Veritus ergo ne filii Procerum & Magnatum inter Tartaros vel Sinenses, qvi sub signis Tartarorum militant, otio & luxu sese abripi patientur, consuevit eos admovere muneribus, qvæ plurimum laboris & molestiæ secum afferunt.

Simulac ejus sunt ætatis, ut munus aliquod obire possint, aliis canes committit condocefaciendos & cum venatur, loris ductandos: aliis accipitres educandos & pugno gestandos in ipsius comitatu: Alios adhibet parandis in suos ipsius usus cibis & potu ex herba Thé, qvi & mensæ ministrant: alias conficiendis arcubus & sagittis, iisqve gestandis qvibus ipse aut principes ejus liberi utuntur. Denique qvos cæteris anteponit & benignius habet, eos recipit inter protectores corporis sui, qvorum vita est valde exercita & laboriosa. Coguntur enim minimum sexto qvoqve die age-

agere die nocturnis excubias, quotidiē
primo mane proficiisci in Palatum,
& in omnibus itineribus Imperato-
rem comitari.

Cum nati sint parentibus opulen-
tis: habent, quo sumptum horum iti-
nerum sustineant, qui sane ingens
est, & mediocris fortunae homines
bonis everteret, eò quod magni
equorum & familiarium numerum
in ea loca debent deducere, quo
venatum abeunt, ut pote in quibus nul-
la est habitatio, nihil vitae tuendae ne-
cessarium, quae omnia eò magnis
sumptibus sunt apportanda. Præter-
quam vero, quod adolescentes in his
muneribus labore afflescunt: Impe-
rator inde quodque id capit commodi,
quod illorum ingenium & faculta-
tem cognoscit. Neque enim quen-
quam ad magnos honores evehit nisi
quem illis dignum ipse perspexit.

Quae de hoc Principe retulimus
summæ laudis ornamenta, in aliis
quidem gentibus eum in ordinem
Heroum eveharent: Sed apud Sinen-
ses, qui honores & dignitates iis me-

ritis tribuendas censent, quæ literis & doctrina comparantur, non habetur, qualis verè est, Principum, qui unquam imperarunt, maximus, nisi & in hoc genere excelleret, æquè ac in aliis omnibus. Quare ut hac parte ingenio gentis obsequeretur, ita se dedidit studiis literarum & doctrinæ Sinensis, ut pauci sint è melioribus libris, quos non ipse legerit.

Memoriter tenet partem operum Confucii seu librorum authenticonrum, quos non sècùs ac libros sacros venerantur Sinenses. Quos ut eo rectius intelligat, ab imperii doctissimis Viris commentarios Simensi & Tartarica lingua in eos scribi jusfit, quorum plurimi decem vel duodecim annos in his operibus perficiendis eidemque interpretandis fuere occupati. Et ut appareat, quantifaciat doctrinam prisci hujus Magistri Sinensium, præfationem ipse conscripsit in hos commentarios, eosque suis auspiciis publicari fecit.

Sic etiam transferri curavit in linguam Tartaricam universam Monnar-

narchiaæ Sinicæ historiam, nec contentus prima versione, quæ ipsi nec ampla satis nec perspicua videbatur, aliam uberiorem adjectis notis adornari voluit, ad difficiliorum locorum intelligentiam. Quam historiam, quantumcunque sit diffusa, sic tenet ut vix locum ex iis aliquem attingere possis, quin ejus statim recordetur.

Cujus ante hos sex annos memorabile vidimus documentum. Princeps jusserat epitaphium conscribi in tumulum avunculi, qui nuper in prælio cum Rege Eluth in Tartaria commisso ceciderat. Hic enim regionem Tartariæ occidentalis ditione sua complexus, fines imperii fui cum exercitu infestaverat. Doctor, cui id negotii datum fuerat, ut elogium scriberet, inter præcipuos Imperialis collegii socios eminebat, &, nescio quo errore, comparationem instituerat inter Imperatoris avunculum & veterem quandam belli Ducem, clarum quidem rebus gestis & militia bonum, sed cuius fama præter cætera vitia perfidia in Principem suum erat

(D3)*

con-

contaminata. Cum elogium cætera eleganter ornateque esset prescriptum, ab omnibus Doctoribus quorum censuræ subiectum fuerat, magnopere probabatur, & ab ipso Collegii Præside qui & ipse Curia rituū primo loco præsidebat, Imperatori, qui per se quoque omnia expendit, offerbatur.

At quod effugerat tot Doctores, qui velut oracula habentur sapientiae Sinensis, & qui vi muneric in historia debent esse versatissimi, ab Imperatore itatim animadversum. Eo enim distinctius, quam illi omnes, vitiorum illius Ducis recordato, qui ante bis mille annos vixerat, & intelligente comparationem illam non tam honori cedere avunculo, quam æterno opprobrio: re ab aliis quoque diligenter perpenfa, hujus negligentiae pœnam tulit elogii autor, relegationem in provinciam Leaotong, & Præses, qui hanc comparationem sine animadversione transmiserat, dignitate exutus est.

Præterea Imperator in eloquentia
& poe-

& poesi Sinica valde exercitatus est,
 & de scriptis in utraque lingua compo-
 sitis perite judicat: scribit elegan-
 ter Tartarica lingua & Sinensi, & utra-
 que politius loquitur quam quis-
 quam purpuratum suorum. Verbo,
 nullum est genus literaturæ Sinicæ,
 cuius ille sit expers. Unde magna
 cura instruit Bibliothecam libris bo-
 nis, qui in regno ejus usquam repe-
 riuntur. Multis viris doctis curam e-
 os conquirendi demandavit. Nec i-
 pie labore refugit inficiendi lis-
 bros, quos illi afferunt, & ex iis me-
 liores eligendi. Praeter hæc doctos
 viros alit, qui in libris è Sinico in Tar-
 taricum transferendis perpetuò sunt
 occupati, quo labore & locupletatur
 lingua Tartarica, & adjuvatur intel-
 ligentia librorum Sinensium præci-
 pue Tartaris orientalibus, qui orum
 plerique Sinicæ linguae parum periti
 libros illos legere non possent, nisi es-
 sent conversi. Qvam utilitatem cum
 iis communem habent Evangelii
 præcones qui linguam illam discunt,
 & magna ejus præ Sinensi facilitate si-

(D 4)*

ve

vè scripturam spectes sive dialectum, citò conseqvuntur, ut ex Sinensium quoque libris fructum capere possint, quod alias nonnisi imperfectè multoque labore in studiis hujus gentis posito consequerentur.

Neqve in doctrinali modò Sinensi-
um operam studiumque collocavit
Imperator, sed uti naturali judicii bo-
nitate est dotatus, ita simulac notiti-
am qvandam accepit doctrinæ Eu-
ropæorum, ejus cognoscendæ mi-
gno desiderio flagravit. Primum ejus
gustum cepit, ut ipse nobis narravit,
occasione ejus controversiæ, qvæ
Verbiestio Jesuitæ intercessit cum
impi Yang-qvang-Sien, à qvo po-
strema persecutio in Christianos Si-
nenses est excitata. Agebatur de A-
stronomia Sinensi, qvam Impostor
ille satis exactam esse contendebat,
neqve indigere aliquva emendatione:
licet æqvè hanc atqve Europæam i-
gnoraret. Erat tamen Præses Colle-
gii Mathematici, qvem gradum erat
consecutus velut præmium falsi illi-
us Zeli, qvo gentis suæ religionem &
in-

instituta asserebat adversus Christianos, qvos perdendos suscepserat.

Plerique aulæ Proceres hujus doctrinæ expertes & optima de gente sua opinione occupati, tum è Collegio Mathematicorum pars major, existimationis suæ retinendæ studiofa sibi que turpe judicans se ab exterris doceri rectiora: aperte amplectebantur partes huj⁹ Yang-qvang-sien. Pauci erant alicujus nominis & fidei, ac partium studio vacui, qui ubique publicare non dubitabant, calculum Ephemeridum ab Europæis subductum respondere observationib⁹ cœlestibus: è contrario calculum Sinensium ex Astronomiæ suæ regulis semper aberrare.

Imperator tum sedecim ferè annos natus à concilio generali omnium curiarum hac de causa congregato instantissimè rogabatur, ut pro Astronomia Sinensi sententiam ferret: sed, utut juvenis, ipse per se, quid verius subesset, explorare voluit. Qvare, ut os illis obturaret, qui verè errabant, publice ex Verbiestio & ejus adversa-

rio, qvi in concilium erant vocati, qvæsivit, num aliquo specimine, qvod in sensus incurreret, demonstare possent, utra Astronomiæ tradendæ ratio sit magis accurata. Tacente Yang-qvang-sienio, Verbiestio in mentem venit proponere, si Majestati suæ placet stylum ponere, cujuscunqve vi- deretur altitudinis, se & Yang-qvang-sienium pro se qvemqve definitum, qvousqve stylus ille umbram craftino meridie sit projecturus. Imperator conditionem haud iniqvam judicans accepit, stylumqve consti-tuit definitæ magnitudinis, cuius umbram Verbiestius calculo suo exqui-sivit, locumqve notavit, qvò præcisè esset craftino meridie perventura. Eventus calculum comprobavit; at Yang-qvang-sienius cum nec calculum inire, nec ullam fidem doctrinæ suæ facere potuisset: Imperator pro Astronomia Europæa pronuncia-vit.

Deinde sæpius experimentum fecit, utro calculo exactius computarentur Ephemerides & Eclipses, qva-rum

rum observationibus Imperator interesse voluit non solum Judices curiae Rituum, sed & alios Aulæ Magnates hominesque fidos, à quibus de iis, quæ evenerant, vera & explorata ad se referri sciebat. Denique cognoscens, omnes observationes satis exacte respondere calculo Europæorum, decrevit illum esse in posterum seqvendum, prout ejus ratio ab Adamo Schall, patre ipsius imperante, lingua Sinica erat perscripta. Quæ deinceps in usu fuit, & hodienum est usitata.

Qua occasione cum Imperatori innotuissent Jesuitæ, qui ad prædicandum Evangelium erant missi, desiderium animo concepit descendæ ex iis Matheoseos, quam in regno Sinnenſi in magno pretio esse constat. Quamvis vero ea esset ætate, qua Principes & Magnates nulli rei minus, quam doctrinæ studiis animum applicare confieverunt: tantum tamen studii per biennium in iis posuit, ut, quodcunqve à statis oceupationibus supererat vacui temporis, id omne il-

lis scientiis tribueret, easq; in præcipuo haberet oblectamento.

Verbiestius per illos duos annos usum illi demonstrabat præcipuum instrumentorum Mathematicorum, & quidquid in Geometria Statica & Astronomia facillimum atque curiosum maximè occurrit, libros in hunc finem de argumentis facilioribus componens. Circa id tempus etiam principia Musicæ nostræ attin gere voluit, usus opera Patris Pereyrae, qui lingua Sinica de hoc argumen to est commentatus, & Musica quædam instrumenta fabricari curavit, quibus illum modos aliquos canere docuit.

Hæc initia disciplinæ bellis civilibus, quæ tunc per imperium exar descebant, fuere interrupta. Neque tamen non, quæ didicerat excoluit, quantum continuæ occupationes in gravissimis illis motibus permisere. Tandem belli turbis sedatis, & profunda pace Sinen si Tartaricog̃ imperio restituta, qua etiamnum fruitur, pace cum Moscovitis annos abhinc octo

Eto inita ; plus studii & ardoris, quam unquam antea, in scientias Europæas contulit.

Quatuor vero, qui Pekingiæ degbamus, Jésuitis id honořis habuit, ut à nobis accipere vellet illas disciplinas, quas alii lingua Sinensi, alii Tartarica interpretarentur. Verum quia lingua Tartarica multo est facilior & magis perspicua, Imperator cognito, quod ego & Gérbillonius in illa lingua per octo menses tantum profeceramus, ut animi sensa commode explicare possemus, nostra opera uti voluit in his scientiis illa lingua tradendis. Qvo vero majorem linguæ illius usum affequeremur, per menstruum spatiū nobis adhibuit Magistros, à quibus quotidie præcepta in Palatii Magistrorum curia accipiebamus. Interea Pater Antonius Thomas monstrabat illi lingua Sinensi usum instrumentorum Mathematicorum, Geometriam atque Arithmeticam practicam, quæ olim Verbiestius docuerat. Nos vero jusfit Tartarica lingua tradere Elementa Euclidis,

qvæ

quæ cognoscere & intelligere avebat, ut non minus perfectè rem teneret, quam ipſi ejus Doctores.

Quod quò commodius fieret, in sua nos cubicula recepit, quæ Pater olim incoluerat, & in quibus cibum capere, & multam diei partem exigere consueverat, priusquam nobis illa traderentur. Præcepit porro, ut, quibus opus esset, ea nobis cumulate subministrarentur, rerum etiam singularum, quod mirabamur, mentionem faciens. Voluit nobis quotidiè summo mane adduci equos è stabulo suo, quibus in Palatium veheremur, & vesperi hospitia nostra repetemus. Duos eruditissimos Aulæ suæ Doctores nobis adesse jussit, qui nos adjuvarent in conscribendis præceptis, & scribas, quorum opera uteremur in describendis. Quibus viva voce interpretandis quotidie nos accessivit. Integras nobiscum horas exegit, quibus illa audiebat, repetebat, figuræ ipſe designabat, &, si quid occurreret dubitationis, afferebat. Relinquebamus illi nostra scri-
pta,

pta, quæ solus per otium relegeret. Eodem tempore & in calculo Astronomico & in usu instrumentorum exercebatur, subinde repetens Euclides propositiones ut illarum demonstrationes eò firmius mente retineret. Sic ut quinque vel sex mensium spatio Elementa Geometriæ sibi adeo reddebet familiaria, uti vix illi ostendere posset figuram, quæ ad aliquam harum propositionū pertineret, quin statim & propositionē & demonstrationem meminisset. Quid nobis aliquando dixit, se Elementa ista forte plus duodecies à capite ad calcem perlegisse. Conscripteramus illa lingua Tartaria, iisque eramus complexi quicquid in scriptis Euclidis & Archimedis continetur propositionū cumdemonstrationibus, quæ utilitatem aliquam aut necessitatem habent. Præterea exactissimè in memoriam sibi revocabat, quæ de usu circini, quo Analogia apprehenditur, quem vulgo vocant proportionalem, aliorumque Mathematicorum instrumentorum, ut & Geometrica & Arithmetica praxi acceperat.

Qvi-

Quibus studiis summa diligentia & incredibili cura vacabat, non deterritus nec spinosis difficultatibus, quibus Elementa illa sunt referta, nec sermonis nostri barbarie. Quod si incidebat in aliquam demonstrationem, quam ex prima explicatione non satis capiebat: sive res esset in se difficilis & impedita sive potius, quod non ita periti essemus linguae, ut satis perspicue animi sensa proferremus: non pigebat eum bis vel ter modo ex hoc modo ex illo querere, quomodo res sit intelligenda: & si quando nobis non contingeret satis aperte declarare, quae vellemus: in alium diem eorum explicationem rejicit. Sic summa attentione & patientia nos audivit, quin hac occasione nobis de se ipso testatus est, sibi nunquam defuisse patientiam, ubi illa opus esset, & a teneris se in omnibus, quae suscepit perficienda, summum adhibuisse studium & constantiam.

Perceptis Geometriae Elementis à nobis quoque Tartarica lingua conscribi voluit corpus Geometriae Pra-

eticae

Eticæ adjuncta Theoria, eaque nos ad eum modum interpretari jussit, quo Elementa tradideramus. Eodem tempore præcepit P. Antonio Thomæ, ut Sinensi lingua componeret corpus calculi Geometrici & Arithmeticæ, quo continetur, quicquid in hujus argumenti libris Sinensibus & Europæis curiosorum problematum reperitur.

Hujus vero scientiæ studio usque adeo capiebatur, ut præter duas træsve horas, quas nobiscum exigere solebat, multum ei doctrinæ temporis, cum solus erat, die noctuque tribueret. Etsi enim Princeps hic inimicus otii & ignaviæ ferò quieti se tradit, nihilominus tamen primo mane surgit: sic ut quantumcunq; properaremus in Palatium mature profici; sæpe nos occuparet nuncius, qui nos arcesseret, seu calculo, quem iniverat, seu problemati novo expendendo. Est enim admiratione dignum, Imperatorem ipsum novis excogitandis studere problematis, quæ illis essent similia, quorum explicationem acceperat.

rat. Omne quippe studium, omnem
oblectationem in eo ponebat, ut quic-
quid scitu dignum in Geometria co-
gnoverat, ad praxin revocaret & in
tractandis Instrumentis Mathemati-
cis fieret exercitatio.

In quem finem præter illa instru-
menta, quæ vel ipsi vel Patri ejus fue-
runt donata, quæque diligenter un-
dique conquiri, eorumque usum do-
ceri voluit, plura alia varii generis
construi fecit, cura & operâ P. Perei-
ræ & P. Suarezii, qui magno in hanc
rem studio collato Imperatori pror-
fus fatisfecerunt. Neque nos defui-
mus officio, quin, quæcunque domi
nobis erant instrumenta illius usibus
commoda, ei offerremus. In quibus
erat magnum & pulcherrimum in-
strumentum Goniometricum, semi-
circuli formam referens, & vitris o-
pticis in regula dioptrica armatum,
quo Dux Meduaniæ benignè nos do-
naverat. Hoc uti conservaverat Impe-
rator in hortis Palatii sui; hoc secum
ferebat in itinere impositum dorso a-
licujus ex aulæ suæ Doctoribus, qui
pre-

pretioso hoc onere se non minus honoratum quam gravatum existimabat. Illud saepe adhibebat metiendæ altitudini alicujus montis aut distantiæ insignium quorundam locorum, idque in conspectu totius Aulæ, qvæ stupebat Imperatori suo hujusmodi conata æquè bene succedere ac P. Gerbillonio, quem plerumqve itineris sui comitem esse voluit.

Sub adventum nostrum inter cætera instrumenta Mathematica duas illi machinas obtuleramus quibus defectus Solis & Lunæ, errantiumque Stellarum itinera & mutuas inclinationes in plura secula & singulos cùjusque anni dies notata cernebantur. Quæ duæ spectabiles Machinæ eruditis Academiæ Regiæ in Gallia debentur. * Imperator earum sibi usum à nobis ostendi voluit, Kalendario Sinico accommodatum. Collocavit verò duas illas machinas ex utroqve latere solii sui in præcipuo conclavi,

(E 2)* ubi

* Inventor fuit Rötherus Danus tunc cum in Gallia inter Academiæ scientiarum Regie membra ageret.

ubi easdem paucis ante discessum meum diebus adhuc conspexi , evidenti argumento, in qvanto illas pretio habeat. Ex qvo præclaram animo concepit opinionem non modò de instrumentis Mathematicis, sed & aliis artis operibus in Francia perfectis, cum nulla vidisset iis similia, quæ nos attuleramus, nec operis elegantia nec accuratione.

Exemplo Imperatoris Aulæ Proceres instrumenta Europæorum Mathematica in pretio habere cœperunt, nobisqve valdè institerunt , qvi sua nos benevolentia ornabant, ut sibi hujusmodi instrumenta qværamus, probè gnari se nulla re magis Imperatorem sibi conciliare posse, qvam hujusmodi instrumentis ei oblatis , ut qui non contentus iis, qvæ oblata ultrò accipiebat, apud illos qvi Praefides fuerant maritimarum provinciarum, plura conqviri fecit.

Ea re adducti sumus, ut scriberemus ad tres socios nostros Fontanayum, Comitem & Visdeloum & ab illis peteremus instrumenta Imperatoris

ris usibus accommoda. A qvibus accepimus grandem Quadrantem vitris opticis in regula dioptrica armatum, thecam Mathematicam, Phosphoros siccios & liqvidos, & alia qvædam hujus generis rariora, qvæ illorum nomine sibi oblata magno gaudio Imperator accepit, & singulari in pretio habuit.

Sed qvæ ab illis ipsis in Aulam vocatis, ut nobiscum circa se essent, Imperator accepit, multò sibi gratiora esse ostendit. Inter ea, qvæ præ cæteris novitate sua placuere, erant aliquot instrumenta altimetrica cum duobus horologiis oscillatoriis secunda monstrantibus, & observatio ni cœlestium inservientibus, qvæ, usu & exactissima illorum accuratio ne perspecta, in cubiculo suo reponi fecit. Princeps verò imperii heres, qvi non minus qvam parens rebus hujus generis delectatur, visis his horologiis oscillatoriis, eorum summa exactitudine captus tanto illorum desiderio exarsit, ut extēmplo unum, qvod nobis restabat, domo peterem, eiqve

offerrem. Qvod qvidem ea comitate suscepit qvæ efficeret, ne doni nos pœnitere posset.

Absoluta explicatione totius Geometriæ Practicæ, qvam eodem, qvo Elementa ordine tradideramus: Imperator hac scientia Geometrica exultans sibi magnopere disciplinam nostram probari ostendit, & qvo magis appareret, qvanti opera illa duo faceret, ex Tartarico in Sinicum ea transferri fecit. In qvæ præfationem ipse scripsit, eaqve recognita in Palatio suo imprimi ac per totum Imperium in utraqve lingva divulgari jussit, ut hinc initium duceret exeqvendi consilii, qvo scientias Europæas in Sinas inducere, iisqve per imperium suum famā & autoritatem conciliare meditabatur. Ex qvo etiam Elementa nostra ipse docere cœpit filium natu tertium annorum septem & decem, in qvo, præter alias excellentes dotes, ingenium his scientiis aptum deprehenderat.

Tantus amor scientiæ cum tanto conjunctus studio & industria in privato

vato quidem satis laudari non posse, in Principe vero tanti imperii moderatore non tam laudem quam reprehensionem mereri, aliquibus videri posset: sed qui in dolem praesentemque conditionem hujus gentis respicit, quae honores & dignitates jam diu metitur scientia: non negabit tanto ardori & studio doctrinæ subesse consilium & prudentiam Moderatoris Reip. peritissimi, & in regnandi arte consummati. Constat Sinenses jam diu uni Philosophiae morum omne studium impendere, reliquas vero scientias à majoribus ad summum fastigium perductas negligere. Atque histamen felicitas Regni superstruxa erat, qua olim fruebantur. Quam obrem Imperator hodiernus, qui id agit ut illam revocare & pristino splendori restituere possit, meliorem ejus rei perficiendæ rationem inire non potuit. Quæ enim efficacior sit via & ratio perficiendi, ut scientiæ bonæque artes reflorescant, iisque regni felicitas constituatur: quam ut Princeps exemplo suo doceat, quanto ille studio sint colendæ?

Se-

Secundum Geometriam etiam Philosophiam doceri voluit Imperator. In qvem finem nobis ambobus præcepit, ut, qva methodo Geometriam perscripsferamus, qvæ illi vifa erat naturæ conveniens; eadem Philosophiam Tartarica lingua consignaremus. Qvem prioribus laboribus nostris Deus aspiraverat successum, bona spe & fiducia nos implevit fore, ut etiam hic labor nobis è sententia succederet. Qvem non injuria majoris in omnem partem momenti judicabamus, cum nulla sit ratio qvæ facilius possit adducere eruditos præcipue Sinenses, ad veritatem Evangelii amplectendam, quam Philosophia bene accurateqve perscripta. Quo sumus impulsi, ut studium & diligentiam nostram intenderemus. Inter omnes autem veterum & recentiorum Philosophorum libros, qvos tum consulebamus, nullus occurrit instituto nostro magis accommodatus, qvam Philosophia vetus & nova Joh. Baptistæ du Hamel, ex Academia regia eruditorum, qvæ doctrinæ &

& firmitate & perspicuitate & integritate digna nobis est visa, ex cuius fontibus rivulos in opera nostra derivaremus.

At Imperatore sub id tempus in gravem incidente morbum, unusquisque & in primis Medici modis omnibus illi persuadere allaborarunt, ut, cum meliusculè se habere inciperet, abjiceret studia recuperandæ valetudini noxia. Qvæ causa fuit, cur Princeps vix in transcurso inspiceret brevem Logicum, qvam conscripseramus introductionis loco præmittendam Corpori Philosophiæ, cuius forma & ratio satis ampla præfatione à nobis erat delineata. Relitto ergo ordine, qvem in hoc primum opere nobis proposueramus, visum est nobis rationem esse habendam ejus status, in qvo nunc esset Imperator, seqvendamqve ejus propensionem qvam non obscurè animadverteramus, cognoscendi machinam corporis humani, rationes qvæ motionum & operationum, qvæ
 (E5)* in

in eo fiunt, admirabilium perspiciendi. Qvare in hoc argumentum, præter prius propositum nostrum, incubuimus.

Cum vero Sinenses, licet à multis seculis periti existimentur Medici non nisi confusam Anatomes notitiam habeant: primum justus erat commentarius conficiendus de partibus corporis humani tum generatim omnibus; tum singulis speciatim: ut ob oculos posita partium connexione & mutua inter se copula tota corporis Oeconomia intelligeretur. In qvod opus traduximus recentissima & utilissima hujus seculi inventa, præcipue à celebri Du Verneio aliisque Academiæ scientiarum Regiæ sociis profecta, ut qvi in hoc genere æqvè ac in aliis reliqvas gentes omnes post se se relinqunt.

Simulac Imperator vidit duodecim vel quindecim priores propositiones cum figuris æneis, subjectaque singularum explicatione, qvas illi ex Tartaria reduci offerebamus: ita sibi illas placere ostendit, ut de-

cla-

clarandi pretii causa, qvod illis pone-
ret, statim jussit primum pictorem
suum, qvi teneritate picturæ excellit,
relictis rebus omnibus, figuræ istas
depingere. Cum vero & hæc scien-
tia plus studii & contentionis requi-
reret, qvam valetudo Imperatoris
ferret & hunc laborem aliquandiu in-
termittere nos voluit, aliumqve ag-
gredi explendo ejus sciendi desiderio,
qvantum ad morbos præcipuos, in-
primis eos, qvibus ipse fuerat aut ad-
huc erat obnoxius. Qvorum causas
Physicas nos explicare jusfit, ea me-
thodo qva Medici Europæi solent.

Neqve hac in re Numen nobis de-
fuit, cuius providentia hanc viam di-
spexerat, qva tanti principis ani-
mum Religioni veræ ejusqve Mini-
stris ex voto nostro conciliaret. Duo-
rum aut trium mensium spatio octo-
decim fere aut viginti libellos de toti-
dem diversis morbis composuimus,
eo ordine qvem Imperator præscri-
pferat. Cui tantopere labores istos
approbavimus, ut & scripto & voce
laudaret illos nosqve in hunc finem

ad se arcesseret, ut qvantopere sibi libri isti placerent, testaretur. Qvibus ut præmium tribueret dignum maxime Evangelii præconibus, dedit tandem veniam instantissimis precibus nostris, & exoptatum illud Edictum nobis concessit, qvo sancta nostra religio è servitute, qva tamdiu tenebatur oppressa, in libertatem afferebatur.

In primis illis libellis, ubi de remediis internis egeramus, arte Chemica paratis, horum virtutem & excellētiam extuleramus, in eo qvod præter vim sanandi aut juvandi nullo cum tædio nec difficultate sumuntur, uti vulgaria. Qvod sibi experimentis qvibusdam demonstrari Imperator expetivit. Frustra excusabamus nostram his in rebus imperitiam, qvi qvarum rerum nullum haberemus usum ab iis tentandis deterreremur. At Imperator non accepit excusationem nostram, persuasus & hanc rem æqvè nobis successuram, ac alias à nobis non infelici successu tentatas meminerat.

Evolvimus itaqve Pharmacopoeiam

am Charassii tum Regiæ officinæ Chymicæ præfecti, & in qvodam Palatii cubiculo genus qvoddam Laboratorii, qvod vocant, adornavimus. Erant in eo fornaces diversæ formæ: omnis generis instrumenta & vasa laboribus Chimicis accommodata. Imperator, cui nullæ impensæ in hoc genere videntur nimiæ, ex argento ea fabricari jussit. Per tres menses effici curavimus qvas Chimici dicunt, Conservas, syrups, & varii generis Essentias. Ipsi præeramus his laboribus: Imperator iis nonnunquam intererat spectator. Postqvam horum remediorum experimentum erat captum, Imperator illa sic probavit, ut in suos ipsius usus seponeret.

Circumferebat ea secum iter faciens vasis aureis & argenteis in hos usus factis, & subinde vel principes liberos suos vel purpuratos vel etiam Aulicos suos his medicamentis cupidissimè donabat. Est enim Principis animus ad bene merendum singulatiter propensus, & simulac percipit aliquem suorum ægrotare, ad eum

Medicos suos & pretiosissima mittit
remedia, qvæ levando morbo judi-
cantur idonea. Qvod nobis ipsis præ-
sttit, qvoties nostrum aliquis decu-
buit.

Non pauci ægroti & in his qvidam
aulici ministri & Imperatoris qvoqve
gener adhibitis Medicamentis ex Eu-
ropa allatis convaluere. Imperator
ipse non multo post gravi morbo cor-
reptus, cum suis remediis nihil profi-
cerent Medici Sinenses, ad nostra
confugit, & ex discrimine, in qvo vi-
ta ejus versabatur, evasit. Ejus me-
dici gloriam si non redditæ at confir-
matæ saltem sanitatis expetiverunt:
sed neqve hac parte res iis succesit.
Neqve enim Imperator cum valetu-
dine in gratiam redire potuit, nisi
usu Kinkinæ, qvam Fontenayus &
Visdelous, commodum eo tempore
in aulam advenientes, secum attule-
rant. Numen cuius hoc tempore sin-
gularem manifestamqve opem senfi-
mus, videtur & præmium tribuisse
principi ob indultam priore anno Re-
ligioni libertatem, & animum ejus ad-
tuen-

tuendos fovendosqve Religionis Ministros magis magisqve adducere voluisse, qvibus vitam ipse suam & sanitatem deberet: sicuti ipse audientibus principibus & Aulæ primoribus publicè est confessus.

Quantacunqve benevolentia Imperator fuerit complexus Patrem maximè Verbiestium, qvem revera plurimi fecit: nunquam tamen tam apertā & singularem animi in nos sui significationem dedit, qvam his postremis annis, qvibus nostris scientiis tanta contentione operam dare cœpit.

Qui norunt, quam alienum sit ab Imperatoribus Sinensibus, ut aliquo familiariter utantur, & quam difficilis etiam Magnatibus & Principibus Regii sangvinis ad illos pateat aditus, nisi in publicis ceremoniis: vix persuadere sibi poterunt, eum nobis præ cæteris tantum tribuisse, ut & exteris & religiosis liberè freqventerque ad se adire permiserit. Tota ejus aula obstupuit, videns nobis per unam aut duas horas quotidiè dari cum eo colloqven-

loqvendi copiam, nonnisi tribus aut
quatuor Eunuchis cubiculariis præ-
sentibus. Qvo tempore admodum fa-
miliariter confabulari solebat de sci-
entiis nostris, de moribus, institutis
rebusque novis, qvæ in regnis Eu-
ropæ aliisque orbis terræ partibus
acciderunt. Ut vero nulla res erat,
à qva paratores essemus, qvam re-
citandis ingentibus rebus gestis Lu-
dovici Magni: Sic affirmare possum,
nullius rei narrationem ab illo majo-
ri studio & voluptate fuisse auditam.
Tandem eo descendit, ut ad latus su-
um sedere nos juberet, in eodem,
qvo ipse, suggesto, qvod nulli un-
qvam permisit nisi liberis suis.

Neqve privato loco suam erga nos
bonitatem conclusit; Sed & publica
sæpè eximiæ in nos benevolentia
suæ documenta dedit, notum omni-
bus testatumque esse cupiens, qvan-
topere nos charos acceptosque habe-
at. Satis constat, qvam singularem
honorem Patri Verbiestio & vivo &
mortuo habuerit. Cognitum est,
qvam honorifice P. Thomam sub e-
jus

ius in Sinam adventum Pekingiam arcessiverit, primosqve quinque Jesuitas è Francia oriundos in Aulam suam receperit. Testes sunt Moscovitæ, quem ante hos octo annos locum in legatorum Sinensium & Moscoviticorum de pace tractanda congressibus Pereyram & Gerbillonium Jesuitas tenere voluerit. Celebratum est aliorum sermonibus, quam eximis honoribus per totum imperium affecti jusserit P. Grimaldum, quem in Moscoviam mittebat legatum. Qvos verò mihi in Franciam cum mandatis suis misso, à majoribus Imperii Magistratibus in conspectu Evangelii Praeconum ex variis gentibus, quin & Mercatorum ex Anglia & Lusitania publicè haberi voluerit, alii retius narrare poterunt. Qvæ res fecit ut per totum Orientem etiam hostes gentis nostæ magnam mei rationem haberent.

Exemplo aliorum Jesuitarum, quorum opera ante nos Pekingiæ usus est Imperator, modis omnibus anni si sumus, ut Imperatori ejusqve Proceris (F) * bus

bus persvaderemus, nos fugere ho-
nores illos, qui humilitati Evangelicæ
minimè consentiant. Sed, quicquid
repugnemus, princeps publica ista &
singularia bonitatis suæ testimonia
subinde nobis impertiri voluit, per-
suasus iis nobis conciliari Magnatum
populiqve studia, & Evangelii præ-
dicationi non leve pondus adjici.

Eadem curiositas, qvæ Imperato-
rem adduxit ad scientiarum nostra-
rum studia, eundem impulit, ut reli-
gionis nostræ rationem cognoscere
in animum induxit. Primam ejus
notitiam haufit è colloquiis cum Patre
Verbiestio, præ se ferens se ex illo au-
dire velle, quæ sit scientiarum Euro-
pæarum ratio. Legit qvoqve plures
libellos in hunc maxime finem con-
scriptos, qvos Præcones Evangelii
illi offerre non dubitarunt. In primis
excellenti libro celebris illius Riccii
Jesuitæ plurimum tribuere est visus,
quem per integros sex menses secum
retinuit. Neqve nos ullam præter-
mittimus occasionem, qua præcipua
Christianismi capita eidem aperia-
mus,

cujus religionis liberum usum in toto Palatio suo permittit. Sæpe ex eo hæc vox excepta est, ex principiis Religionis Christianæ, ejusque in regno Sinensi ad hunc diem progressu, in eam se opinionem adduci, ut non dubitet, fore aliquando, ut Christiana religio præ reliquis emergat principatumq; in regno obtineat.

Id apparet, multos errores & superstitiones Sinensium perantiquas ex illius animo esse deletas. Verbi gratia, vix quisquam est Sinensium, præter Christianos, qui rem alicujus momenti aggrediatur, quin horam & diem arbitrio Mathematici eligat. Habet Collegium Mathematicorum peculiarem curiam, cuius omnis occupatio est in eligendis superstitione locis, diebus, horis, cuique rei graviori accommodatis: tresque hujus Collegii Doctores hodierno Imperatore adhuc minore capitis fuere damnati, quod neglexerant observare horam, qua Frater Imperatoris esset terræ mandandus, quam negligentiam existimabant Imperatoriæ familiæ funestam.

Imperator ex politicis rationibus relinquit illi curiae functionis istius usum: at saepe nobis ostendit, se parum fidei his observationibus habere. Et sane in omnibus iis, quae ad ipsum proprie pertinent, ipse est, qui tempus definit. Sic cum filio natu maximo uxorem collocaret, Curia, cuius erat ex prisca consuetudine determinare, quenam ex propositis mulieribus Principi sponsa maximè conveniret: nominare jubebatur eam, quam Imperator delegerat. Sic cum iter suscipit, dies, quem curia probat, ille ipse est, quo Imperator constituit proficisci.

Res mira est & summa admiratio-
ne digna, Principem tam potentem,
tam legibus solutum, cuius jussa o-
mnia incredibili studio & obsequio
perficiuntur, inter Aulæ ab omni me-
moria effeminatae illecebras, esse
tam moderatum tam sui potentem at-
que hic est Monarcha. Etsi corporis
temperatione in iram est pronus,
cum tamen sive publicis sive privatis
in rebus irascendi causa subnascitur,
sic

sic novit iram reprimere, ut pœnam in aliud semper tempus sæpeque integras hebdomadas aut mensas differat, nec quod irati faciunt, ad punendum statim convolet. Ita fit, ut & pœna rectius errori & delicto respondeat, & alios in officio melius contineat.

Vidimus ante hos sex annos ejus rei memorabile exemplum. Imperator itinere in montes Tartariae susceppto, ut ibi pro more venationi daret operam, in gravem morbum incidet, principemque imperii hæredem ad se dispositis equis venire jussérat. Quidam Principis familiares morbo Imperatoris non admodum dolere visi erant, quin non obscura lætitiae signa dederant, certa spe fore, ut herum suum mox Imperii gubernaculis admotum viderent. Imperator, quanquam hoc facto gravissime offendit, ita tamen sui erat potens, ut tam ancipiti tempore se contineret, & ne iræ indulgens augeret morbum, & culpam disimularet & supplicium differret. Recuperatis viribus, ex

primo Archiatro qværebatur, num bilem, qva ab aliquo tempore urgenteretur, sine sanitatis detimento, effundere posset? Medico negante subesse aliquid periculi, reos omnes fustuarium affecit, exorsus à Principis frili Nutritio & juventutis moderatore. Qvosdam etiam è præcipuis Eunuchis cubiculariis in extremos Tartariæ fines relegavit,

Fustuarium vero ictusque fustum castigatio est in hac gente valde usitata, nec ullam infamiae notam, ut in Europa, inurit. Unde videas Imperatoris familiares hac poena affectos ad munus suum, ut antea, redire, qvin & in conspectum Imperatoris venire, ut nec averso ab eis sit animo Princeps, nec minore in pretio habeat, dummodò errorem emendent.

Cæterum non soli huic iræ perturbationi moderari scit Imperator, sed & non minus reliquas in potestate habet, in primis illam, qvæ in aulis Principum Orientalium maximè dominatur, & qvæ ita consuetudine invaliduit, ut ne qvidem in vitio ponatur.

tur. In adyto Palatii, ubi omnia spirant mollitem & voluptatem, teneræ virgines è formosissimis Imperii delectæ affervantur, ut principis libidini serviant. Quin lege inter Tartaros sanctum est, ne quis filiam elocet marito, nisi oblatam Imperatori, qui sine ullo juris ordine, sibi servare potest, quæcunque placet; cognati que ejus puellæ, quam Imperator recipere dignatur, magno se honore affectos arbitrantur.

Hi sunt perniciosi illi mores, qui animo & corpore tot Imperatorum Sienensium corrupto, locum dedere tantis motibus & conversionibus Imperii, cuius administrationem Eunuchis aut purpuratis permittebant, dum ipsi otio & voluptatibus marcentes inter greges fœminarum delitescerent, negotiorum omnium ignari.

Sed qui hodie rerum potitur Princeps tantum abeat, ut his voluptatis illecebris capiatur, ut de industria se etari videatur, quæ ab his revocare possunt.

Elapsi sunt aliquot anni , cum ad obeundas Provincias meridionales Nankingiam profecto sub tributi specie septem pro veteri more virgines in toto Imperio pulcherrimæ offerrentur. Princeps ne quidem illas aspicere voluit , nedum ut reciperet , & animadvertisens , quosdam familiares suos , fretos quotidiana secum consuetudine , sibi audere quandam animi effeminandi occasionem subministrare , ex eo averso ab illis fuit animo , & ex variis , quibus eos deinceps castigavit , suppliciis satis apparuit , quantopere sibi caveret abiis , quæ animum suum corrumpere seque detriorem reddere valerent.

Quo facilius obliviscatur voluptates & oblectationes adeò pernicioſas , nobiliores sectatur in variis corporis animique studiis & exercitationibus veluti itineribus , venatione , pescatione , equorum decursionibus , armorum tractatu , librorum lectione & doctrinarum studiis . Quam ob causam longinquis delectatur itineribus , quo nullas dicit feminas : & præter duos

duos tressve menses continuos, quos in montibus Tartariae à prima luce ad vesperam venando transfigit, procul ab omnibus Sinensium Impp. deliciis, subinde quoque invisit monumenta sepulchralia familiæ suæ Imperatoriæ, & per quindecim aut vinti dies, quos in hoc itinere exigit, venationi dat operam. Quin cum Pekingæ aut in prædio suburbano moratur, magnam sæpè diei partem venatur. In quem usum altero ab urbe rapide in vivario quadrato altisque muris undique cincto, cuius ambitus sedecim millaria comprehendit, feras & aves cujuscunque generis alit. Præcipue delectatur venatione Tigridum, quas parvas in minore vivario pone Palatium educari curat, & adultores venando persequitur.

Eadem de causa Imperator piscationem amat, & cum accipitrem fringillarium piscibus immittere, tum retia magna dexteritate tendere est edictus. Interdum piscatur in flumine haud procul Pekinga, interdum in hortis urbis, in quibus est sta-

gnum, interdum in villis suburbanis, in quibus multum est aquæ. Nunc hamo, nunc retibus utitur. Quin & nobis sæpè donavit pisces, qvos sua manu ceperat, quod singularis honoris & benevolentiae signum habetur. Decursoñes equeſtres rarius & vix semel aut bis solenniores spectante tota aula instituit. Tum verò omnes Principes & Magnates adducunt, quicquid in equili alunt egregiorum curforum. Imperator quoque adducit suos & præmium iis proponit, qui cursu vincunt, & quam longissima spatia conficiunt. Tartari adeò incensi sunt æmulatione in hoc certamine, ut nonnulli sex vel septem milliaria uno tractu decurrant & licet non rarò equi equitesque pereant, non defunt tamen qui ad decurrentium sint parati.

Equi Tartarici æquæ ac Sinenses non sunt aspectu pulchri & parum habent nobilis illius ferociæ & generoforis impetus, qui in melioribus Europæ equis cernitur. At contra nostros eo vihount, quod minori cu-

ra & sumtu plus laboris tolerant, longius iter conficiunt, & plerumque perniciitate præstant.

Quantum ad alias corporis exercitationes, veluti arcu, manubalistæ & bombarda petere, in his sicuti Princeps mirifice excellit, ut supra observavimus; ita mirandum non est, cur his & ipse plurimum oblectetur & liberos suos in iisdem exerceri gaudeat.

Porro militiæ exercendæ plurimum curæ & solicitudinis impendit. Quod quinto quoque die per duos menses vere & autumno fieri consuevit, & ad militiam Pekingensem spectat, cuius quinta pars quoque die exercetur. Sæpè accidit, ut Imperator extra ordinem milites Pekingenses, vel omnes vel partem quandam exerceat, solertioribus magisque exercitatis præmia proponens. In statis exercitiis receptum est, ut cuique militi, qui arcu seu eques seu pedes scopum ferit, quadraginta solidi numerentur.

Cum vero locus in militia vacat, qui tanto ambitur studio, quanto in Europa de numeris explendis laboratur: Imperator non nisi perito rei militaris eum demandari jubet. In quem finem, qui vacuum locum exceptunt, periculum facere debent in omni genere armorum & exercitacionum. Quod strictius Imperator servat in milite Prætoriano, neque Protectoribus modo corporis sed & quovis satellite. Quotiescunque enim vel muneri vel loco vacuo aliquis est admovendus, candidatos omnes se præfente explorare jubet Imperator, num ea teneant, quæ pro muneris ratione quemque scire aequum est, & nunquam non peritorem cæteris præponit.

De cetero prudentissimus hic Princeps mirabiliter in usum suum transferre novit, quicquid ad conservandum imperium facere potest. Si mulac didicit rationem, qua tormenta bellica majora ex ære fusili ab Europæis conflantur, ea magno numero ad istum modum fundi & parari fecit,

fecit, & in dies pluribus majoris minorisque formæ auget, multosque erudiri curat, quomodo petant his torinentis & globos ignitos è mortariis projiciant. Habet multa ænea minoris formæ, quæ equi & muli dorso imponi possunt: Compagem verò ligneam cui tormentum insistit, ea levitate construi curavit, ut alio equo cum omni apparatu ad farturam tormentorum necessario gestari posfit. Quod omne suo ipse ingenio excogitavit.

Cum comperisset exercitum suum in prælio, cum Rege Eluth commissario plurimum cepisse detrimenti & ab integra victoria reportanda fuisse revocatum, quod Eluthiani sclopetis probè exercitati, equitatum Imperatoris è castris suis rejecerant: partem equitatus ipsumque militem prætorianum edoceri jusfit rationem, qua æquè ingredientes ac stantes sagittæ ac bombardæ usu valeant.

Similiter ut otium & ignavia foimenta Imperator fugiat, non minore saltem contentione in mentis quam

cor-

corporis studia incumbit. Præter ea, quæ supra diximus, (quantum temporis tribuat legendis libris Sinensium, & studiis doctrinarum Europæarum) ex quo mathematica instrumenta tractare & ad usum transferre didicit, nil frequentius ab aliquot annis videoas, quam eum sive in Palatio Pekingiæ sive in prædiis suburbanis sive in itineribus Tartaricis in eo plurimum ponere studii & oblectationis, ut spectante tota aula Geometricas vel Astronomicas observationes ope instrumentorum, quæ secum circumfert, instituat. Nunc altitudinem Solis meridianam Quadrante metiebatur, nunc horam & momenta annulo astronomico captabat, ex iis observationibus elevationem Poli colligens. Interdum altitudinem montis aut turris, vel distantiam duorum locorum insignium mensurabat. Sæpe calculo subducto exquirerbat, quæ meridie ipso diei dati umbra futura erat longitudo à stylo eretto procedens, quem inter instrumenta secum ferebat. Aula vero ad magnam

magnam admirationē trāducebatur, intelligens plerumq; inter se consentire observationes Imperatoris sui & P. Gerbillonii, qui illius itinerum comes easdem seorsim observationes inibat. Quæ res in Principibus aulæque Proceribus mirificam accendit æmulationem, disciplinis illis quas admirabantur, imbuendi liberos suos, cum per ætatem eas à se disci posse diffidarent.

Cum P. Fontenayus & P. Visdelous Pekingiam venirent, ab iis doceri voluit usum Horologiorum, quæ observationibus cœlestibus instituendis secunda monstrabant, aliorumque instrumentorum, quæ Patres illi secum attulerant, atque dono dederant Imperatori. Qui post alias explicationes curiosas rerum astronomicarum, de quibus Princeps quæsiverat, mentionem injecere duplicitis novæ methodi à Cassino & Dela Hire recens excogitatæ, inveniendis facile Eclipfibus. Cujus percipiendæ desiderium Imperator animo statim concepit, Patresque jussit figuræ illi intelligendæ necessarias adornare.

Denique ut in hoc genere studiorum aliquid sese dignum susciperet, artes elegantes in imperio suo instaurare & ad meliorem cultum revocare instituit. Ad quod consilium capendum adductus est visis artis operibus ex Europa & maximè Francia allatis. Accesfit, quod ex nobis accepit de florentissimis scientiarum Academiis Lutetiæ Parisiorum hodie constitutis, quibus scientiæ & bonaë artes auspiciis Ludovici Magni ejusque regia in compensandis excellentium virorum meritis munificentia ad summum fuerunt evectæ fastigium. Ad hoc exemplum Imperator Sinensis cœpit abhinc quinquennium in Palatio suo Academiam condere Pictorum, Sculptorum, aliorumque in ære & chalybe versantium Artificum, qui in horologiis & in instrumentis mathematicis fabricandis occupantur. Quibus æmulatione accendendis in exemplum proponere solet opera Europæa & præcipue Parisina. Ipse verò pro excellenti judicio suo & usu in discernenda operum artis

artis elegantia & pulchritudine, ad se
afferri curat, vel quotidiè cum Pe-
kingæ moratur, vel altero quoque
die, cum ruri degit, opera à novis il-
lis Academicis perfecta: qvæ ipse ex-
pendit, quicquid in iis peccatum est,
notat, quicquid laudem meretur,
probat, in quibus nihil desiderat &
exquisiti aliquid deprehendit, ea sibi
servat: splendide verò illos nunquam
non remuneratur, qvi cum excellen-
tibus naturæ & ingenii dotibus inde-
fessum studium conjunxere & desi-
derium ostendunt in arte magis ma-
gisqve indies proficiendi. **Quos** ad
Doctorum seu Mandarinorum di-
gnitatem evehit & honoris insigni, ve-
ste scilicet Magistratum pompatica
publice ornat.

Quamvis Imperator Sinensium
non minus sibi quam populo suo
summa cum potestate moderetur:
non tamen ex Sinensium de Heroi-
bus concepta animo specie, Regis e-
xemplar haberetur absolutum, nisi &
illa impleret officia, quæ sanguine
conunctis natura duce debentur. In
(G) * his

his cum primum locum teneat liberorum in eos pietas, à quibus ortum & vitam traxere, & vicissim Parentum in liberos amor: nihil est, in quo hujus Principis officium magis eluxerit. Nam quantum ad prius attinet, quod à Sinensibus in morum doctrina jure habetur præcipuum, cum tenera ætate patrem matremque amisisset: aviam, qvæ illis diu super-vixit, omni cultu & obsequio filiali sic est prosecutus, ut ne inter Sinenses quidem exemplum simile sit animadversum. Cum enim illa una curam ipsius educandi sustinuisse: dici non potest; qvam demisse in rebus omnibus morem illi gesserit, qvæ illi officia assiduè præstiterit, qvam sollicitum se atqve anxiū in adversa illius valetudine præbuerit, sic ut relicto venandi oblectamento ejus invisendæ causa sexaginta ad octoginta milliaria cursu publico conficere non recusaret.

At Principis hujus in aviam suam pietatem si metiri licet supremis officiis, qvæ ab illo defunctæ præstari videntur

dimus: vix est, ut majorem qvis-
qvam vel cogitatione sibi fingat. Nam
præter lugubrem vestitum, qvo per
plures dies totius imperii incolas, per
aliquot menses verò aulam suam in-
dui voluit, totis illis qvindecim die-
bus, qvibus in Palatio exponebatur
corpus Imperatricis, iustitium indi-
xit omnesqve Principes regii sanguini-
nis, Magnates, Præfectos, Ministros,
cujuscunqve gradus, dies noctesqve
adesse in Palatio & defunctæ mortem
solenniter complorare jusfit, licet a-
sperrima esset media hyeme anni
tempestas. Ipse verò à Sarcophago
nusquam discessit, ita ut plures dies
noctesqve in cubiculo, in qvo corpus
erat expositum, insomnes exigeret,
alta voce lachrymisqve dolorem te-
status. Neqve solum magnificentis-
fimo funere illam extulit, cuius im-
pensa ad aliquot millions nummo-
rum abibat, sed testandæ pietati & ve-
nerationi suæ corpus ipse cum omni
aula ad locum sepulturæ, qvi qvinq
& viginti milliaribus Pekingia dista-
bat, deduxit.

Id vero post quatuor menses demum in monumentum illatum fuit, interimque in Palatio extra urbem depositum, quod Imperator pedibus ultra milliare cum liberis suis, qui per aetatem ingredi poterant, prosecutus est. His quatuor mensibus, quibus illic corpus erat expositum, Imperator minimum quater quaevē hebdomade eo proficisciēbatur, jacturam quam fecerat deplorans, & supremum defunctae officium persolvens. Postea superbū Palatium, quo loco corpus erat conditum, exstrui fecit, multasque circa id domos, quas incolerent ii, quib⁹ demandaverat munus ceremonia funebri cum luctu & lachrymis defunctae memoriam recolendi. Per tres annos luctus continuos se Aulæque Proceres omni oblectatione publica, Comœdiis, cantu, ludis, abstinere voluit, toto que illo tempore saepius quotannis sepulchrum, ut ut longè distans invisit, ut & officio in Imperatricem defunctam & amori suo omni genere cultus & pietatis satisfaceret. Qvod nec

nec triennio luctus elapsus facere desistit, & ne nunc quidem, cum ipsius domicilium forte præterit, lachrymas reprimere posse dicitur.

Sicuti verò Princeps ille rarissimo hoc exemplo filialis obsequii & reverentiae inter omnes Sinenses enituit: ita non minus omnium in se admirationem convertit insignibus exemplis paterni amoris & singularis curæ, quam educationi librorum suorum impendit. Ineunte anno 1694, cum è Sinensi regno abirem, quatuordecim habebat filios & plures filias ex pluribus fœminis, quarum pleræque salutantur Reginæ, susceptas. Scimus enim Polygamiam inter Sinenses magis quam alibi terrarum esse receptam, Sinensesq; summam felicitatis ponere in numerosa posteritate. Ex his quatuordecim filiis decem vidimus eximia speie, multum ingenii præse ferentes: reliqui adhuc infantes erant.

Præceptores Regiis liberis diliguntur è Collegii Imperialis sapientissimis Doctoribus. Moribus illorum præfecti sunt Viri summo loco

nati & à teneris in aula educti, quorum virtus maximis in rebus cognita est, atque perspecta. Qvod tamen non impedit, quo minus Imperator ipse in omnes liberorum actiones inquirat, & sigillatim illorum studia cognoscat, sic ut ab iis scripta ac compilata inspiciat, librosque coram fe ab iis explicari velit.

In primis ad virtutem illos & studia illorum loco digna asperefacere allaborat. Simulac ingredi possunt, docentur eqvum concordare, arcum vel sclopetum displodere & has exercitationes remissionis & oblectamenti loco habent. Neque enim delicate & molliter liberos habet Imperator, sed potius mature illos laboribus ac molestiis perferendis indurare & ut cibo vulgari vescantur, asperefieri cupit. Quod dñe è Patre Gerbillonio hæc accepi; cum is Imperatorem in montes Tartariae proficiscentem esset abhinc sex annos comitatus, è filio Principis natu maximus, tertius & quartus cum Patre iter erant ingressi: at cum venari inciperet Imperator,

etiam

etiam qvatuor reliqui arceſſebantur, ex qvibus maximus annum duodecimum, minimus nonū agebat. Omnes illi Principes tam imbecilla ætate per integrum menſem cū Patre totos dies venando transigebant, hærentes in eqvis, vento Solique expositi, pharetram tergo, arcum manu gerentes, nunc eqvo incitato, nunc gressu moderationi vecti, nunc pedibus infiſtentes & ferè nunquam non dexterimè feras bestias petentes. Nullus transibat dies, qvin eorum qvilibet plures feras sua manu interimeret. Prima statim venatione natu minimus sagittulis suis duos cervos feriebat.

Jam tum illa ætate Tartaricè & Sinicè ſatis ſcītē loqvebantur, & in diſcillimo literarum Sinensium ſtudio eos progreſſus fecerant, ut natu minimus in poſtremo libro operum Confucii verſaretur, qvorum tres priores jam abſolverat. Imperator ne minimum qvidem illorum errorem diſimulari vult, majorique illos pudore & modestia contineri ju-

(G 4) * bet,

bet, qvā in Europa fieri solet. Qvi circa illos sunt, si vel levisimum illorum peccatum sine animadversione dimittunt, ipsi severissimè puniuntur.

Etsi moris est recepti Reges appellare Imperatoris liberos, qvi ex ephēbis exceperunt, iisqve peculiarem aulam instruere cum omni ministerio supellecstile & redditū tuendæ dignitati necessario: at cum discedebam, secum adhuc Imp. retinebat filium natu maximum, jam tres & viginti annos natum, nec dum ullo cultu & apparatu regio instructum, licet ipse jam uxorem duxerit, liberosqve sustulerit. Quem de cetero Imperator amat terrimè, ut qui est maximè amabilis, videlicet pulcher, ingeniosus, & sexcentis dotibus animi corporisqve ornatus.

Curia Principum & regni officialium collegiatim libellum supplicem Imperatori ante aliquot annos offerbat, petens ut hunc filium Regis nomine & honore afficeret. Verum Imperator nullo dato responso filium porrò secum retinuit, qvem vidimus

qvo-

quod*tidie* in iudum profici*sci*, in q*uo*, non procul ab Imperatoris conclavi totum diem Principes exigunt, partim literis dantes operam, partim exercitationibus suo loco & generi propriis vacantes. Imperator eò s^apè se confert, &, quid proficiant, inquirit.

Præ cæteris vero omnem diligenciam impendit educationi filii natu secundi, qvem renunciat imperii hæredem & Successorem, qvalem Sinenses appellant Hoang-tai-tse, ut qvem primum Imperatrix seu Uxor primaria peperit. Præterqvam qvod peculiare collegium est constitutū, à qvo ea omnia docetur, qvæ tanti Imperii Monarcham scire fas est, ut illud recte administraret: Imperator ipse singulari prorsus cura ejus educationi invigilat, & omnium eorum, qvæ ab illo geruntur ac fiunt, exactam rationem fibi reddi jubet, ut eum mature imperio gubernando fingat & præparat.

(G 5)* ret.

* *Ad liberos ejus Uxorū, que Imperatrix salutatur, præ aliis spectat Imperii successio.*

ret. Et certè fatendum est, Princeps in hunc, qvi jam tres & viginti annos est natus, eaque formæ dignitate & cultus gratia eminet, qva ullus in aula Pekingenfi ea ætate Procerum, esse omni laude cumulatisfimum, sic ut neque inter familiares ejus, nec in tota aula qvisquam sit, qvin optimè de eo sentiat & loqvatur, certaque spe præsumat, eum olim exemplo Patris inter maximos Imperatores, qvos unquam habuit Monarchia Sinensis, locum esse habiturum.

Nos vero id plurimi facimus, qvod cum Imperator singulari studio annittatur, ut suæ illum honorificæ opinionis ac judicii de nostra religione ejusque præconibus impleat, in eo jam plurimum benevolæ de nobis existimationis non multum à paterno sensu discedentis animadvertisimus. Jam ipsi qvinque sunt anni cum Parentis hunc filium deduxit in speculam, ex qva sidera observantur, ei que ostendit instrumenta mathematica, qvibus locus ille est exornatus, subjiciens Sinas splendida ista instrumenta

menta debere Patri Verbiestio : cuius æqve ac Jesuitarum de se & Patre suo merita illi denarrabat.

Eodem die, quo abeundi potestas ab Imperatore mihi facta erat, Princeps ejus filius eo me affecit honore, ut veste qvadam sua me donaret, qvæ est eximia qvædam benevolentia : sed multo magis me capiebant verba humanissima, qvibus hoc suæ in me benevolentiae argumentum proferebatur. Persuasi sumus Imperatorem ipsum ei fuisse auctorem hujus doni, eo qvod paulo ante ex me bis qværi jussit, num quid Imperii hæres mihi donasset:

Paulo ante idem Princeps P. Gerbillonium integro vestitu donaverat, & argento non modico qvadraginta vel qvinqvaginta duplionum, testatus se tenui hoc benevolentiae suæ argumento indicare velle summum gaudium, qvod ex redditâ Patri valitudine percepérat remediis nostris Europæis & opera Gerbillonii potissimum recuperata: de cætero se non ignorare non esse hoc ejusmodi præ-

mi-

mium, qvod præcones Evangelii profusi officiis expectent.

Qvo die P. Visdelous & P. Fontenaius Pekingiam advenere, cum ad Imperatorem ex merito adhuc lecto affixum adire non possent, cuius aliqui recte valentis conveniendi copia statim fuisset illis data: Princeps Imperii hæres de illorum peritia certior factus illos ad se arcensivit, & magna humanitate sermonem cum illis sociavit. Uti verò ipse in literis Sinicis apprimè est versatus, ita per se explorare voluit, an Visdelous in iis tantos, quantos prædicari audierat, progressus fecisset. Propositis igitur huic Patri difficillimis veterum scriptorum Sinensium locis, in quos libro forte aperto inciderat, magno perfusus est gaudio cognoscens à Visdeloo ista loca mira perspicuitate & facilitate explicari, librosque Sinenses æque ac ab ipsis eorum Doctribus intelligi. At longè plus ex eo cepit voluptatis, qvod ex eo querens de convenientia doctrinæ Confucii & Christianæ, accepit illius doctrinam

nam non modo non pugnare cum Christiana, sed cum hujus principiis egregie conspirare. Et certe Princeps hic præcipua Christianismi capita jam edoctus, æque ac Imperator parrens ejus videtur per fasus, haud multum inter utriusque doctrinæ principia interesse.

Cum æque per fasum dico parentem ipsius, sciendum est magnum illum Principem jam diu in illa esse sententia, ut diversis temporibus differtè testatum fecit Nimirum hac inductus est, ut sanctam nostram fidem publicè solenniterque comprobaret; qvod pro sua prudentia nuncquam fecisset, si velleviter suspicatus fuisset, præcipua capita Christianæ fidei, quæ est legis naturalis perfectio, repugnare receptæ per imperium suum religioni. Quæ quidem in origine sua verisqve principiis priscorum sapientum, non vero hodiernis Doctorum suorum commentis spectata parum aut nihil à religiorie naturali differt. Omnes verò qui supereffè poterant, scrupulos hac in re Imperatori

ratori exemit excellentissimus liber Ricci Jesuitæ à doctissimis Sinensium magni æstimatus , qvi hoc argumentum solide exeqvitur , & ut supra diximus , ad manus Imperatoris per venit , eumqve adduxit , ut eam nobis indulgeret gratiam , qvam vix sine miraculo ab omnipotentis Dei gratia sperare poteramus .

Ceterum auctoritas hujus Principis , qvam ei affert & dignitas , qva caput habetur religionis suæ , & hujus perfecta notitia longo studio & multa lectione veterum librorum qvæsita facit , ut testimonium ejus hac in re maximi ponderis jure videatur .

In primis verò à discessu meo hæres imperii exemplo paterno singulare ratione ostendit , qvanti faciat religionem Christianam & qvam ministris ejus cupiat . Cum in portu essem Cantonio , ut navem conscenderem in Franciam trajecturus : ex literis P. Gerbillonii , qvi more suo Imperatorem in Tarrariam erat seçutus , didici Principem Imperii hæredem ejusdem

dem ejusdem itineris comitem in dies majora & eximia dare benevolentiae & amoris sui in nos documenta: sibi ab eo monstratam explicatamq; esse Tabulam numerorum in usum calculi cuiusdam à Fontenajo & Visdeloo adornatam in gratiam Imperatoris, qvi tanti illam fecit, ut, post qvam usum ejus ipse perceperat, eandem filium suum Imperii hæredem docuerit: atq; ve hunc Principem, ut & ipse ostendat, in qvo illam pretio habeat, eam de cingulo suspensam in theca secum circumferre: eundem Principem nuper ex eo qvæsivisse, qvis sit cœli & terræ Dominus, qva occasione se paucis de fidei nostræ ratione fecisse verba, qvæ Princeps magna attentione & voluptate audierit, alia vice eidem se paginam Sacræ Scripturæ explicasse.

Fratres hujus Principis & præcipue natu maximus, qvi præter alias egregias dotes, excellenti naturæ bonitate est præditus, multum in nos benevolentiae ostendunt, æq; ve ac duo fratres Imperatoris, qvi hac in re, ut in

in multis aliis, cæteros Principes regii sanguinis superant.

Hæc studia domus Imperatoriæ & omnium Principum in Christianam fidem & eos, qvi illius dogmata in Regia publicant, cernuntur quoque in aulæ & Provinciarum Magnatibus, imò in Magistratibus minoribus, virtute exempli, qvod à Principe in eos dimanat.

Stupendum vero prorsus & prodigio simile, quo usque progressa sit existimatio & benevolentia, qvam duo primores totius Imperii Administri in nos sanctamq; legem nostram publicè testatam faciunt. Dominum dicō So-sang & Dominum Ming. Prior est illustris ille Heros, qvi, cum jam diu fuisset potentissimus noster ac religionis nostræ Patronus, illustrissimum nobis argumentum studii sui dedit, vi eloquentiæ suæ Imperatorem ac curiam rituum inde usque à seculo Evangelii præconibus magnopere formidandam adducens, ut tam publica & solenni ratione fidem nostram comprobaret.

Quantum ad alterum , Dominum Ming , et si nulla ei adhuc facultas data est tam illustri documento , ac à Collega ejus est factum , suum erga nos favorem declarandi : cum tamen de voluntate ejus prorsus nobis constet , Christianis , qvalicet , commondandi , & Præconum Evangelii conata & proposita juvandi , in eo non minus firmum præsidium Religioni nostræ in toto Sinarum imperio paratum atqve in Domino Sosang arbitramur . Qvodsi mihi liceret singularia qvædam , qvæ habeo hac de re comperta , divulgare , Ecclesia magnum inde perciperet gaudium .

Uttandem verbo absolvam imaginem tanti Principis ; ad Majestatem Tuam , Domine , tot partibus accedit , ut non minus ac Tu Regum , qui unquam imperarunt , esset consummatisimus , modo illi contigisset & ea parte Tibi respondere , qvæ Principes Christianos excellis , videlicet religionis cultu .

Necesse enim foret , ut illi datum
(H) * esset

esset amplecti fidem nostram, eām-
que pro fētām sincerē profiteri, qvam
à TĒ, Domine, in aliorūm exem-
plum est factum. Nescimus qvidem
qvomodo Principis animus hac in re
sit affectus. Neqve enim illum ape-
rit. At si judicium ferre licet ex no-
titia, qvam habet, Christianismi; ex
pretio, qvod illi ponit, seu ponere
saltem videtur; ex publica tutela, in
quam eum recipit, & ex honorifico
de illo sensu, qvem suis populis, Au-
læ proceribus, suisqve liberis & præ-
cipue Successori inspirare allaborat:
sine temeritate credi potest, eum à
regno Dei non longè abesse.

Quid enim aliud spondent, & au-
gurari jūbent perpetua beneficia, qvi-
bus ministros Evangelii accumulat?
Quorum extantiora Majestati Tuæ
sigillatim exposui. Non contentus
Jesuitis à Temisis tribuisse domicili-
um, ut dixi, intra Palatii sui penetra-
lia, iisdem à discessu meo eodem in
loco concesfit spatiōsam aream, in
qua vēro Deo magnificum templum
exstru-

exstruerent, spem faciens fore, ut ipsi pse ejus sit dedicator: neque non nobis polliceri possumus eum magnopere gavisurum esse, cum audiet Majestatem Tuam hujus generis nuncio valde fuisse recreatam. Qvod si Princeps ille jam Christi nomen suscepisset, & ad eandem felicitatem populum subiectum provehere constituisse: num plus capere posset gaudii, quam ostendit, cognitis Evangelii in regno suo progressibus à data Edicto suo libertate promanantibus? En, quæ Batavi ipſi ex literis Macao & Pekingia sub finem anni 1695. datis hac de re publicarunt.

*Imperator Sinensis, postquam Edicto proposito subiectis populis Christianam fidem amplecti permisit, ita letatur quotidianis populorum suorum ad Christianismum conversionibus, ut duobus Jesuitis Italis in aula sua degentibus ad Evangelium remotissimis provinciis annunciatum abeundi portentur. (H 2) * testatur.*

- Epistola Historica A. 1697. Haga. Comitum impressamens. Febr. p. 197.

*testatem fecerit. Quod hujus Monar-
chæ in religiosæ studium magnam
spem præbet fore, ut intra Seculi de-
cursum omne Sinarum regnum Catbo-
lica fide imbutum videamus.*

Deinde sigillatim enarrant, qva ra-
tione sex septemve è Primoribus
Christi fidem susceperint, qva con-
versione sic tota aula fuerit affecta, ut
de nulla re magis qvam sancta Christi
fide inter se colloquantur. Subjici-
unt porrò tantam esse populi certis in-
locis multitudinem, qvi baptismo se
præparet, ut præcones Evangelii non
sufficiant. Imperatorem finem nul-
lum facere de nostra religione lo-
quendi: veram è populi sui conver-
sione voluptatem capere: nec Zelum
præconum Evangelii satis laudare
posse, & denique eum quatuor Jesui-
tis id dedisse negotii, ut plures sine
mora arcessant socios, à qvibus suble-
ventur. Atqve hoc ipsum est, Do-
mine, qvod mihi præcipue in man-
datis dedit Imperator, cum maria me
iterum transmittere juberet, qvem-
admo-

admodum Majestati Tuæ exposui, eo
usus honore, ut offerrem prima ho-
norifici de Te judicii documenta, qvo
TE Imperator Sinensis proseqvitur.
Optare se magnoperè ostendit, ut
primum ad se mitterentur, qvi inter
Indos degerent Jesuitæ, in primis P.
Tachardus, & P. Comes. Ex qvo e-
nim rescivit utrumqve à Majestate
Tua delectum esse, qvi æqve ac nos
in Sinarum imperium ptoficiscere-
tur: utrumqve in aulam suam venire
voluit. Qvin multò ante præceperat;
ut P. Comes, qvem novit & præcæ-
teris magnifacit, eò cum Sociis se
conferret, cum P. Fontenayum & P.
Visdeloum arcesseret; putans illum
jam in regnum suum pervenisse. At
Numini visum est, ut, cum ad Indos
venirem, nullum ibi invenirem Jesuit-
am, qvi itineri huic faciendo pares-
set. Jusserat ergo Imperator me per-
gere in Franciam, & ad Tuam Maje-
statem me conferre à qva peterem, ut
qvam plurimos liceret Jesuitas, ad se
mitteres, eis maximè similes, qvos
(H 3)* jam

Jam habet secum, & in qvibus plus,
qvām dici potest, acqviescere se o-
stendit.

Eos qvippe expetit Jesuitas è ci-
bus Tuis , qvi in omni genere artium
& scientiarum sint versati, ut una cum
iis qvos secum habet in Palatio suo
constituere possint Academiam, qvæ
sit veluti colonia qvædam Academiæ
Tuæ Regiæ , cujus perspicaciam, ex
uno atqve atqve altero specimine o-
pūseulorum nostrorum Tartarica
lingua scriptorum cognitam, sic ad-
miratur , ut ex liqvida ista & præstan-
tissima scaturigine nos haurire velit,
qvicqid à nobis in reliqua opera
transferetur , qvæ sua nos lingua de
omnibus artibus ac scientiis conscri-
bere jussit, ut illæ per imperium suum
doceantur & invaleſcant.

De cætero, Domine, religio ex isto
consilio hoc tantum capiet commo-
dum , ut ; qvi illrexeqvendo adhibe-
buntur, distributis inter se pro cuius-
qvè captu laboribus , né à ministerio
Evangelii , qvod in præcipuo habe-
bunt

bunt negotio, magnoperè avocentur, & præsidium religioni ejusque ministris afferant, & nostris eruditis quotannis novas observationes & animadversiones æqvè curiosas ac exquisitas de variis rebus suppeditent, librosqve Tartaricos & Sinenses convertant, qvi ad nostras scientias artesque perficiendas plurimum adjumenti conferre posse videbuntur. Qvibus excitabuntur eruditi nostri, ut vicissim in gratiam Sinensium submittant inventa sua, qvibus miro successu uti licebit in gentibus illis ac in primis Magnatibus, Principibus, ac Imperatore ipso religioni nostræ conciliandis, opeqve gratiæ divinæ ad illam amplectendam permovendis.

Experientia enim non unius Seculi est cognitum, scientias inter omnes naturæ vias esse præcipuas, qvibus Deus præcones Evangelii incedere voluit, ut fidem veram in Sinis plantent atqve constituant: & qva via etiam hodie longè apertius nos ingredi vult,

(H 4)*

vult, ut paganismi reliquiæ delean-
tur. Neque non animadversum est,
populos illos ad eum modum illustra-
tos, qvem cernimus, & præ aliis po-
pulis idololatris, non solum ingenio
& urbanitate , sed etiam purissimis
rectæ rationis præceptis eminentes,
plerumqve facilius veritatem Evan-
gelii agnoscere , qvæ ordine ac per-
spicuè ab iis explicatur , qvorum &
integritas & doctrina perspecta atqve
explorata magnam fidem atqve au-
toritatem affert. Tum enim Deus,
ut alias facere consuevit, intrinsecus
gratia sua eos sic afficit, ut quid hac in
re sui sit officii, sentiant, & quantam-
tumcunque falsa sapientia inspiret
arrogantiam, ad humilitatem Evan-
gelii se componere ne dubitent.

Qvis ergo non videt, Domine, qvin
Deus, qui hanc Tibi mentem injecit,
ut Jesuitas ē Tuo regno ad Sinas Pa-
ganis convertendis mitteres; idem &
Tibi suggesferit, ut variā illis dares in
mandatis , qvæ ad artes & scientias.
perficiendas facerent ? Cujus sane
pro-

providentia illic egregie iis respon-
dit, quæ hic Tuæ menti subjecit, præ-
conesque Evangelii inter Sinenses &
in ipso maximè Imperatore reperere
propensionem animi planè consenti-
entem amplitudini & sanctitati consi-
liorum Tuorum, usque adeò ut Prin-
ceps ille in paucis illis non acqvie-
scens, ultrò ad Te mittat, qui plures
à TE mitti rogent.

In hac occasione tam commoda,
tam exoptata , quid nobis de Tuo,
Domine, Zelo heroico , cui nulos
ponis limites, polliceri non possu-
mus? qvod si ex iis licet augurium ca-
pere, quæ Majestas Tua præstirit E-
vangelio in Asiam Indos & Aethio-
piam propagando, simulac vel tenuis
eius illuc inducendi spes illuxit: quid
non in gratiam Sinensium TE factu-
rum sperare licet? ista enim sola léga-
tio præconum Verbi divini pluris est
quam reliquæ omnes , pluresque
paucis annis Ecclesiæ fidèles pareret;
quam in reliquis orbis terræ parti-
bus, modo tot sint Operarii Evange-
(H 5) * lici,

lici, quot requirit infinita illa multitudo gentilium , qui ab Evangelio amplectendo non sunt alieni.

Liberrima facultas profitendi Evangelium Sinensibus ab Imperatore concessa sperare nos jubet, ut totum olim Sinense imperium ad Christi fidem convertatur. At si Princeps ipse exemplo suo illis præiret, consideremus fore, ut regnante adhuc Majestate Tua rem tantam impletam perfectamque videamus.

Quidem scio vix sine miraculo expectandam Principis tam potentis & à fide alieni conversionem. At considerans eum, præterquam quod & religionem nostram in magno habet pretio, & tuendam eam suscepit, immunem esse ab iis vitiis , quæ sæpè impediunt , quo minus religionem nostram infideles Principes amplectantur : eumque jam tum assuefactum esse exercendis plerisque virtutibus moralibus , quæ raro in Principe Pagano concurrunt : non sine ratione certe existimare licet, eum, qui hanc

hanc Principis animo propensionem videtur indidisse , pro in ~~igni~~ sua misericordia conversionem velle perficere , præfertim si fideles precibus inter se conspirent , ut ipsi civibusque suis hanc à DEO gratiam exorent.

Ipsi dico civibusque suis . Cum enim Imperator hic libera utatur potestate in omnibus regnis suis , à vicinis magnoperè colatur , & in toto Oriente ejus gloria celebretur , veluti Principis singulari ingenii amplitudine , consummata experientia & sapientia , doctrina & probitatem vulgarem modum longè supergressa : credere sanè licet , si talis Princeps ad fidem Christianam convertatur , hanc conversionem fore tam illustrem & exemplo suo efficacem ; ut verisimiliter ab ea pendeat totius vastissimi imperii conversio ; quod plures quam omnis Europa incolas complectitur . Quin & deinceps omnes circumcircum nationes in eandem sententiam traherentur opinione de sapientia Sinenium commotæ , qua ducti horum

rum instituta & consuetudines sequi
confueverunt.

Successus certè, Domine qui unquam contigerit Ecclesiæ fructuosis-
simus & regno Majestatis tuæ glorio-
fissimus , cui Numen eam videtur
reservasse gloriam , ut ad incrementa
regni cœlorum plusquam aliis un-
quam Princeps conferat. Qua rati-
one cœlum illustrissima ejus facta ve-
luti obsignat , & heroicis Ludovici
Magni gestis coronam quasi imponit.
Id enim præmium est dignum illo Ze-
lo animique magnitudine , qua du-
ctus , religione armis Tuis & consilii
sapientia adversus totam Europam
per decem ferè annos asserta , non re-
cusasti hostibus quamvis superior,
pacis ferre conditiones illis utilisfi-
mas , communi religionis & tran-
quillitatis publicæ bono.

Inter vota precesque , quas pro
convertendo ad Christi fidem Impe-
ratore Sinico ejusque populo assidue
fundimus , non possumus non & pa-
cis feliciter conficiendæ meminisse ,
quæ

quæ non magis Europæis quam Sinensibus erit salutaris. Restituta enim commercii & navigationis libertate, navibus nostris quotannis nova cohors præconum Evangelii ad extremum Orientem transvehî, & vicissim Deo Duce inde referri poterunt jucundissimi nuncii de infinita turba Sinensium ad fidem Christi, illorum laboribus Tuæque Majestatis auspiciis adducta.

Expectans ergo cupidissimè, dum primæ naves solvant, quas à Majestate Tua ad Sinenses primo quoq; tempore missum iri speramus, à quibus saltem non minus benevolè ac alterius cuiusquam gentis naves excipientur: non dubito quin & mihi indulgeas, DOMINE, ut cum fortunato illo Virorum Apostolicorum supplemento parvis copiis nostris confirmidis a TE benignissimè destinato, quam primum regionem, quæ Solem Orientem intuetur, repetam. Ubi in magna ponam felicitatis parte, si præcis illis novisq; præconibus Evangelii

hi conjunctus, in annuncianda remo-
tis imis populis Christi fide, Zelo Tuo
subservire licuerit. Neque obliviscar,
Domine, ut gratiam aliquam tot Tu-
is in me meritis referam, quocumq;
venero, nova illa celebrare rerum
Tuarum miracula, quæ hoc itinere
de Majestate Tua cognovi, eaque illi
narrabo Principi, qui inter omnes
plurimum ex illis voluptatis capiet,
Tuaque amicitia & benevolentia est
dignissimus.

Denique pro tenui loco meo cum
tot in Sinarum imperio fidelibus, qui
à TE potissimum salutem suam ex-
pectant, preces meas conjungam, fa-
crique capitis Tui, Totiusque regiæ
domus conservationem rogabo De-
um, hac re testari cupiens, quanta
animi demissione, & quam sincero-
cultu sim

Majestati Tuæ

Devotus

J. BOUVENT, Jesuita.

Admo-

ADMONITIO.

EO plerique mortales sunt ingenio, ut quæ de longinquis regi-
onibus narrantur, falsi habeant suspe-
cta. Quod ipsum vereor ne & huic
commentario eveniat, nec tanta ei fi-
des habeatur, quantam meretur
summa veritatis cura in eo prescri-
bendo adhibita.

At enim cum nihil hoc commentario
contineatur, nisi quod his oculis vi-
dimus, prorsusque habemus explo-
ratum; hac spe mihi blandior fore, ut
lector hac erga nos æquitate utatur,
& aliud de his commentariis quam
de vulgaribus rerum exterarum nar-
rationibus judicium ferat: neque me
adeo temerarium putet, ut ausim Re-
gum perspicacissimo æquè ac poten-
tissimo quicquam offerre, quod a ve-
ritate vel tantillum discedat, quo non
solum offendam tanti Monarchæ in-
curreremus, sed etiam studia amitte-
remus maximi per Orientem Impe-
ratoris.

Quic-

Quicquid ergo libido contradicendi nobis objiciat, ut fidem hujus descriptionis reddat suspectam, adversus calumniæ tela satis nos & hic & in Sinis munitos præstat veritas indubitata, quæ hisce exponitur: nec de ultiore mihi laborandum censeo, quam ne argumentum hoc non satis illustrasse videar, quod omnibus illis apprimè probari est consentaneum, qui vero propagandæ religionis Zelo ducuntur.

Errata.

P. 34. l. 14. *infinata* l. infinita p. 39. l. 14. *clucet* l. elucet p. 45. l. antepen. *mutati* l. multati p. 81. l. 21. *noſta* l. nostræ p. III. l. 1. deleatur *eiusdem*.

